Q. D. B. V.

ICTERUS FUSCUS CUM PLICA POLONICA EX SUPPRESSIONE MENSIUM TRIENNI

OCCASIONE CASUS CUIUSDAM NON PLANE VULGARIS

EX DECRETO GRATIOSISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

SUB PRAESIDIO

PRO-DECANI SPECTABILIS

DN. IRENAEI VEHR,

MED. DOCTORIS EIUSDEMQVE PROFESSORIS PUBLICI PRIMARII LONGE CELEBERRIMI,

ARCHIATRI REGIS IN PRUSSIA SPLENDIDISSIMI,

FACULTATIS SUAE SENIORIS GRAVISSIMI,

PATRONI AC PROMOTORIS SUI AETATEM COLENDI,

DISSERTATIONIS INAUGURALIS LOCO

PRO DOCTORIS GRADU

IN ILLUSTRI ACADEMIA VIADRINA,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI COMMISSUS

A

FRANCISCO THEOPHILO Böhm/

PHYSICO PROVINCIALI IN CAPITANEATU PRUSSIAE BRANDENBURGICAE REGIAE MARIAE INSULANO ET RIESENBURGENSI, NUNC IN MAIORI QUAE PATRIA EST POLONIA, ITERUM PRACTICO POSNANIENSI

IV. IDUUM IULII M. DCC. VIII.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

FRANCOF. AD VIADRUM, STANNO CHRISTOPHORI ZEITLERI.

JESU JUVA!

Proœmium.

Album & Nigrum ut bina ſunt duntaxat Colorum extrema: ita quoque extremè ſibi adverſos animos hominum ad ſui cultum allexerunt, ut illud, quod ex albo rubeum & moderate mixtum eſt, Europaeos, *hoc* Nigritas *hodienum ſibi praeoptare, vel mè tacente, conſtet.*

Dantur alii inſuper colores, etiam ſimplices, medii; ex quorum tamen numero vel Flavum ſaltem provocaſſe ſufficiat. Trahit, quod mireris, etiam lutei hujus pigmenti lubido non unum, quos non natura, ſed ipſorummet potius animi perverſitas atque multa opera tingit Zingaros, *colluviem illam ſpurciſſimorum hominum, ut Aegyptios ſeſe mentiantur. Adeò non idem omnibus coloris corporis eſt arbitrium; ſed Zingarornm & Nigritarum, (non Europaeorum, qvis enim, niſi alienatus mente, nigrum vel luteum perverſe eligeret cuticulae colorem?) unusquisq; coloris ſui in diverſum licet pervicax interpres: In quos certe poëticum illud quadrare appoſite dixeris,*

Quisquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.

Utut vero noſtrates, potiſſimum autem ſexus noſter amabilior, coloris illius ex albo rubentis maxime ſint amantes; gratus tamen nonnunquam, quem uterque Europaeorum ſexus in deliciis non minimis habent, in ipſo etiam delicatiori, cuticulae candor frequenter conſpurcatur, nitor corporis contaminatur atq; faciei decor deformatur.

Solus ICTERUS, ut ſilentii peplo longâ ſerie dicenda plura involvam, inſtar omnium occurrit, faciem τὸ ζωτικὸν ἄνθος mox in cadaveroſum, mox luteum, mox tractu quodam temporis etiam in fuſcum plane colorem convertens, omnemque cuticulam candidam, totius corporis ornamentum, deflorans, foedans, conſpurcans.

Utqve vero illi pariter atque huic conſtet nativus ſuus decor, deformitatis e contrario deleatur macula; utrumque praeſenti praxeos, ſi quae eſt, Poſnanienſis archetypo experiri animus eſt. Faxit DEUS O. M. ut feliciter & ex voto!

HISTORIA.

Matrona XXX. & quot jam excurrere annorum, plurium liberorum mater, Cholerici temperamenti, cum excandeſcendi occaſioni non nihil indulſiſſet, irae, velut anteſignano pedarium, auriginem ineunte vere anni M DC XCIV. ſuccedere uti, occupantem unius diei ſpatio faciei ſpeculum atque univerſum corpus; ita altero ſtatim illa eadem deſerentem quoque advertens, laetatur de tam ſubito receſſu ab iisdem, nihil inſidiarum amplius verendo. At vero, ubi revertitur non multò poſt, aureus ſcilicet ille ſanitatis depopulator, licet ſtatarius nondum, ſed tranſitorius adhuc, per plures, poſt invaſionem alteram, ex ordine cum dies, tum etiam ipſas nonnullas vices,

vices, non parum ſeſe animi angit. Imminens ſic ex altera parte Hannibal ille, ex altera quoque fugiens plus tribus vicibus, ludere primum quaſi ad pomœria cutis viſus eſt. Cum vero juratum ſexus ſequioris Achatem, fluxum menſium, de excubiis ſuis, quas jam inordinatas non ſemel tenebat, tyrannice expuliſſet, res ſuas ſeriò agere usque eo occipiebat, ut dominii rerumque potiretur; ὀρθοςάδια vero e contrario jugum ſe accipere viresque ſuas ſanas atteri experiretur. Poſt, ubi, tragœdiae tyranni per unum atque alterum menſem ſerviens, ſe juſto longius menſtrualem non eſſe poſt ſolſtitium aeſtivum deprehendit, de exuenda ſervitute cogitat; accitis in conſilium *primò*, qui mos fere inolevit in Polonia, mulierculis, ſvaſoribus praepoſteris cum inſesſuum frequentiorum, tum potionum pellentium ad ſanitatis diſpendium fere epotarum; *dein* Medico Chriſtiano ſibique propinque cognato, amplius biennio interpolatis vicibus anticterica & emmenagoga accommoda praeſcribente; *poſtea*, cum fortius, quovis effuſionis menſtruae tempore, tum calor totius, tum ſudor oppresſivus ac flavus ille tyrannus intenſius infeſtaret corpus, convocatis cum Judaeo, tum poſt hunc ex multo intervallo Chriſtiano altero, utroq; jam praeter Ebraeū pie defunctis. Hoc collegium, quà conſiliis conjunctis, quà armis polymechanicis, ſatis multum temporis deſudans, non hoſtem, ſed ſymptomata tantum nonnulla ejecit, ut non reſpondente poſtmodum effectu omnes obtorto collo ad iſtam non ſatis ſolidam traherentur, prognoſin: jam haberi debere pro derelicta ictericam. Quartus jam vertebatur annus, ex quo flavus ille in nigrum declinare videbatur.

Tandem me, qui tum temporis juribus aeſtivis in caſtro Poſnanienſi ob agendam cauſam advigilabam, magni nominis ibidem, & ſibi, quod non noveram, conſanguinitate juncti viri, in cujusdam ſpectabilis pharmacopœi, ad quem in hoſpitium diverſus eram aedibus, diſcurſum de fœminarum ictero mecum habentis, de eoque ſolicitius conſultantis, perſvaſu, Clinica cum per maritum ſuum altero die poſt, tum ipſa etiam, flagrantisſimè, (vel ideo, quod à ſolo fœdo aſpectu abnuebam imploranti operam, verens, ne idem mihi ac reliquis uſu veniret turpe curatu icteri fatum) flagrantisſime, inquam, rogatum habuit, ut ſe adverſus hoſtem ſuum immanem adjutum venirem, qvum ſui curandi ſpem omnem in me cum Deo, (ita verba ejus erant) haberet ſola, dicens: praelaudati viri de te tuoque diſcurſu relatio mihi ſanitatis praedicit reſtitutionem. Ejus perquàm ingentem admirans fiduciam dedi, timide licet, locum preci & ictericam ab ovo, quod dicunt, ſtatum morbi exordiri ad unguemque recenſere ſymptomata omnia jusſi. Inprimis autem, (ut jam laudatis à me, quod reliqvum eſt, addam,) conqueſta eſt de inſigni ſcapularum quaſi fractarum dolore, deque eodem obtuſo & gravativo cum dextrum, tum ſiniſtrum latus affligente, nec non de cephalalgia perpetua, aliàs cum intenſiori, aliàs remisſiori calore. Deinde nares etiam per omnem morbi decurſum non quidem obſtructas, ſed usque eo aridas, ut ne ſemel quidem emungere eas de die neceſſe haberet: & ſomnia ſomnum turbulenter ſaepe ac nonnunquam cum pavoribus intercipientia, indicavit. Ad haec torpore atque ſegnitie totius corporis ſe vexari, ſe amplius continua reſpirandi diffi-

cultate

cultate premi & gravari pectus pondere quaſi quodam lapideo, catameniorum maxime (quae non niſi parcisſime ac guttatim & nigra profluunt) tempore, faſſa eſt. De cœtero moleſtum & amarum oris ac linguae ſaporem, nec non ſiccitatem faucium ſitimq; ingentem, appetitum ad omnia proſtratum, alvum per plures ſaepe ex ordine dies adſtrictam, nec niſi albas, ſi quae ſolvitur, faeces dejicientem confirmavit. Tum album oculis ubique obſervatis intenſe flavum; ungvibus, temporibus & cute inſpectis, illos luridos, haec à capite ad calcem non modo lutea, ſed prorſus fuſca; urinâ perluſtratâ nigerrimam ad inſtar atramenti & linteamina imbuta eadem croceato colore tingentem, ejusque ſedimentum cinnabarinum, ſub curationis initium maximam partem, ſemper adverti: hoc tamen & illius atro colore, cum in altum jam provectus eſſem, unam atque alteram ſeptimanam, poſt libere cesſantibus & item purpureum ſuum ac floridius tributum utero poſt quartam illius ſeptimanam ſolvente. Sub finem, quae ſeptima ſeptimana fuit, vari in facie circa genas prorumpentes, pruritus interpolatus brachia exercens, & tubercula apum puncturis ſimillima hinc inde in corpore emergentia non leve mihi facesſere negotium. His autem legitima, quae infra exponetur, medendi acie debellatis omnibus, aegra tyrannico ſe nunc exuens jugo priſtinae ſanitatis iterum potita eſt, Hannibalem ſuum flavum cum omni ſua hoſtica caterva velut victrix bene dicente DEO, funditus caedendo, delendo, poſtrando. PLICA caput inſtar galeri cingens quam tyranno iſto longius alebat, imitus etiam everſa eſt & ſublata: qua de re diremta non

quidem pro genio depopulatoris devincentis, ſed devictae viſae prius, tragici actus periodo, illa nunc diribet manubias, trophaeisque ſanitatis de novo erectis, utinam perpetuum! ovat.

ΕΠΙ'ΚΡΙΣΙΣ.

INiquam valetudinem, qua ſatis diu conflictata fuit Clinica mea, *ſymptoma qualitatis mutatae*, colore totius corporis variato, & inprimis ſuppreſſionem effuſionis menſtruae, *conſequens* fuiſſe nullus dubito: quippe quod tum temporis aegrae facies non tantum citrina, ſed & ad nigredinem jam declinans ſenſibus uniuscujusque obvia fuit & relatio ſignorum a laudatis non abludit.

Quanquam fere conveniant in illo Pathologorum cohors, cum nemine tamen, ſi cui illud aut ad actionem laeſam, aut ad excretorum & retentorum vitia retorquere non diſpliceret, contentionis ſerram, quam in his ſupervacaneam tantum duco, moturus ſum. Siquidem illud diverſo reſpectu referri poteſt æque ad illam, quando actio, ſive culpa reſidente in inteſtino, ſive in hepate &c. in ſeparatione ſcoriarum bilioſarum laeditur: atque ad haec, quando bilis, quae excerni debebat, ob obſtructa vaſa retinetur & hinc in totius corporis ambitum diffunditur. Cum ſemper vero denominationem a potiori fieri debere nemo non noverit, quis jam multum amplius haerebit, poſſe icterum non his, nec illi, ſed iſti recte adſcribi?

Hocce autem qualitatis mutatae ſymptoma *Icterus* (imitatione Graecorum, quibus ἰκτεριτία & ἴκτερος audit, neſcio an ab ave ejusdem nominis, quam Romani galbulum vel galgulum nominant, an a voce ἰκτίδος, quam per viverram, muſtelae ſilveſtris, oculos aurei coloris habentis ſpeciem

ciem juxta *Aëtium tetrab. 3. ſermon. 2. c. 17.* iidem exponunt? ea quae Criticis enucleanda committo; calamo meo favens e contrario rebus, cum Practico, tum aegrorum ſaluti potius profuturis) nihil aliud eſt, quam *decoloratio*, hoc caſu *in fuſcum, praeternaturalis, cum effuſione bilioſi humoris ac infectione per totum corporis habitum ſuccorum vitalium, ab obſtructione pori cholodochi verſus duodeni & jejuni confinia dependens.*

Atque ob hanc ipſam, quam mihi nunc explicandam *definitionem* ſumo, omnem cum ſynonymorum, tum eorum, quae hinc inde circa originem tam icteri, quam omnium ejus vocum afferuntur, prolixitatem declinaturus, nihil moror, quod *Celſo* dicatur *arquatus*, ob ſimilitudinem arcus vel iridis cœleſtis, aliis morbus *regius* ab auro metallorum rege, nonnullis *aurigo* ab illius ejusdem colore, *auriginoſa* perfuſio & *ſuffuſio fellis.*

Icterum autem reſpectu *Generis* ſeu rationis ſuae formalis *decolorationem* dixi. Cum enim flos noſter vitalis, qui inprimis in facie tanquam ſpeculo & hinc in cute ex rubro & albo, ſuccis his fundamentalibus, ſangvine & ſero aequaliter mixtus eſt, a decore ſuo nativo ad flavum, hoc caſu vero ad fuſcum deſciſcit colorem; apparet cum inſignis, tum in ſenſus incurrens humani corporis ejusque coloris mutatio, quae tamen pro cuticulae & cutis, quas humores noſtri & climata ſaepe modificant, variatione in naturali ſtatu, etiam in praeternaturali aliter diſpoſita reperitur. *Dixi decolorationem in fuſcum;* puta *colorem* corporis, qui *differentiam ſpecificam* largitur. Ambiguitatem omnem vel aequivocationem adhaec ut devitem rei, non abſonum futurum puto, ſi *icterum* diſtinxero in *verum* & *apparenter talem*, ſub illoque *flavum* & *fuſcum* unice, ſub hoc vero illi *analogum* intellexero: Et quidem I. omnes *immutationes ſanguinis ab injuria externa* vel *a fermento peregrino venenoſo animalium*, v. g. a morſu viperae, ſcorpionum, tarantularum aliorumque; vel *a corroſivitate mineralium*, quam, ut ſic loquar, citrineſcentiam, tanquam temeritatis & fraudis ſuae pœnam, ſaepe lucro capti Empirici, ab hauſtâ prius quadam

pin-

pingvedine, poſt aſſumto ejus ſpeciei veneno, tandem eo poſt *Orvietani*, ſi Diis placet, alexipharmaci ſui uſum per vomitiones ejecto, ex iſtiusmodi aliquoties ingurgitato minerali merito deportant; vel *ab irritativa* ſic dictorum *cholagogorum*, quoad acrimoniam ſuam ſalino-ſulphuream partibus membranoſis cum bile non ſatis communicatorum, ſed in corpore retentorum, oeconomiae noſtræ animali *illatas*. 2. omnes *ejusdem deturpationes* ſeu *dyſcraſias a cauſa morbifia intus latente* blande & ſenſim exortas, quales ſunt ſcorbutus frigidus, varii generis febres, menſium obſtructio, chloroſis, cachexia, hydrops & quae hujus commatis plura, omnia tamen fere a ſalibus lixivioſis ſulphur ſangvinis ita modificantibus ſolum pendentia. 3. *naturales* nonnullorum populorum, inprimis *calidora climata incolentium conſtitutiones*, quae omnes ad coloris quaſi icterici, ſeu apparenter talis icteri, conditionem accedunt, non vero icterum verum ponunt. Deinde *icterus verus*, qui eſt flavus & hoc caſu fuſcus, *proprie magis* & *abſolute talis* audit: *apparenter* vero *talis, improprie* & *relative*. Poſtea *flavus* communior magis & frequentior; *fuſcus* vero [quem ratione coloris, cum in facie & corpore univerſo, tum in urina ipſa ſeſe offerentis, presſius ſic inſcribere vel ideo placuit, quod niger eſt latioris paulo ſignificationis omnemque colorem fuſcum ad nigredinem declinantem ſub ſe comprehendit,] paulo *rarior*, hinc *chronicus* magis & conſequens flavum. Prior Germanis audit **die Gälle-Geele-oder Gelbe-Sucht:** noſtris vero Polonis zołta choroba, juxta Theſaurum Gregorii Cnapii p. 1447.; fortasſis exinde, (meo quidem, ſed ſalvo etiam aliorum, judicio) quod bilis ipſis zołć, unde denique zołtość flavus color dicatur: poſterior autem Germanis **die ſchwarze Gelbeſucht** & Polonis czarna zołta choroba. Sunt, qui *album* his adhuc addunt, chioroſeos ſ. febris virginum amatoriae nomine; mihi tamen, quod eis non ſubſcribam, vitio verti poſſe nullo modo confido: utpote qui perſvaſus ſum, plane illam *ἀκύρως* & abuſive magis talem

dici,

dici, imo eisdem, cum aureum colorem album velint, *σιδηρόξυλον* & contradictionem in adjecto a ſe admiſſam cordate indico, exceptô quod in vulgo hos diſtinctionum gradus non aeque advertente connivendum ſit. Sic probe adhuc memini cujusdam fœminae pro filia ſua *icterica,* cum tamen ſexies emanſis menſibus chloroſi laboraret, nihilo ſecius medicamenta anticterica Frauſtadii olim expetentis: item Cerdonis cujusdam aſcite cum tumore pedum oedematoſo Poſnaniae olim laborantis, quem pro icterico habebant fere mordicus mulierculae tantum non omnes viſitantes. Plura diſtinctionum genera quoad icterum proprie dictum non admitto, cum ad haec duo ſumma omnes aliae ſpecies referri queant, quae verba ſunt ab Excell. *Wedelio* Praeceptore meo aetatem devenerando *patholog. ſuæ dogmaticæ ſ. 3. c. 13. p. 679.* conſignata. Neque ea, quae *Caſp. Hoffmannus inſtitut. medicar. lib. 3. c. 72.* §. *2.* in contrarium ſcribit & *fruſtra* aliquos in dividendo ictero in flavum & nigrum occupatos eſſe exiſtimat, a prolata diſtinctione me dimovere ne latum quidem unguem etiam patior, cum *flavus* & *fuſcus* fundamentum in re & praxi non ſolum habeant inſignisſimum, ſed uniuscujusque etiam ſenſus illius revera duplicis coloris arbiter & index eſſe posſit. Tandem *decolorationem iſtam praeternaturalem* i. e. morboſam eſſe jam ſupra deſignavi, ad differentiam illorum, qui cum temperatiora *climata,* tum ipſam etiam ſeptentrionalem plagam, accolunt *Europaei* populi, & inſtar Nigritarum conſimili fere fuſcedine tincti ſunt; ut non amplius illos omnes, de quibus paulo ante dixi, hic denuo repetam. Horum fuſcedinis ratio quaerenda quidem etiam eſt in humoribus vitalibus, non tamen praeter naturam ita diſpoſitis, ſed potius ſecundum naturam & hinc non morboſis, horumque unctuoſo inter cuticulam & cutem concremento, quod pellucidum illius candorem & membranam obfuſcat non aliter ac nigrum, vitro ſubditum, tale etiam reddit, de quo elegantisſime *Pechlinus lib.* de colore & habitu Aethiopum per tot. & inprimis *c. 7. p. 67.* egit.

Hic aſcititius cum fœditate color rem mihi cum humore peccante omnem jam eſſe jubet. Humores, aut ſi mavis ſucci noſtri vitales, quando a genuinis illis erga ſteriis, viſceribus noſtris depuratoriis, dimittuntur & ductus, canales, vaſa, tubulos & porulos omnes hac & illac liberos transfretantes pro vigoranda unaqualibet corporis noſtri parte aequaliter diſtributi ſunt; non impedite unusquisque eorum, qui reliqui ſunt a ſuo officio, ad fontem, a quo fluxere, refluunt & conſociati denuo cum noviter interea temporis in elaboratoriorum ſuorum ſtamine praeparatis ſtadium ſuum indefinite decurrunt. Cum primum autem ſtructura viſcerum a fluidorum craſi, quae prius blanda & in neutro excesſiva erat, invertitur & ſive acidum, ſive ſalinum, ſive ſulphureum, ſive terreum, tartareum, cœnoſum ac viſcidum quid imbibit, vel diverſoria illa fluidorum aut conſpurcantur aut obſtructiones ab iisdem reportant, vel hoſpitantium in iisdem motus aut aliquo modo retardatur aut plane ſufflaminatur ac intercipitur, unde facta ſtagnatione humorum aut alveos ſuos, dum diſtendendo rumpuntur, effluunt, vel redundando in proxime ſibi obviantes ſeſe effundunt ſicque alios diverſi licet generis paulatina inundatione inficiunt. Cui *effuſioni biliosi humoris* ac *infectioni ſuccorum vitalium* fuſci noſtri Hannibalis CAUSAM IMMEDIATAM adſcripturus, pro inſtituti exigentis ratione futurum eſſe reor, ut *bilis* ac *hepatis*, quoad fieri poteſt, ſtatum naturalem ſcruter.

Hoc, quod vaſa concernit, obtinet, (quôin ductum B. *Ortlobii* in Disſertat. Anatomico-phyſiologicarum *disſertat. 17. §. 3. p.* 130. ſequi placet,) & *communia*, quæ ſunt vel duo adducentia, *Arteria* & *nervi*, vel duo abducentia, vena cava & lymphae ductus: & *propria*, quod eſt vel unicum adducens *vena portae*, vel duo itidem abducentia, *vaſa bilaria* & *cyſtis fellea*. De ſitu, figura, nervis, ligamentis & vaſis lymphaticis, cum ad ſcopum noſtrum prorſus nihil faciant, taciturus *hepatis ſtructuram* primum ingredior; quod eſt viſcus ex vaſis omnis generis, potisſimum autem

ex

ex venae portae propaginibus in varios faſciculos abeuntibus atque ex iisdem egredientibus & per univerſum illius cavum tenuisſime ſparſis radicibus & ductibus cholodochis contextum: Ut verba Excell. *Bergeri* lib. de natura humana *c. 14.* §. *2. p. 210.* mea faciam. Deinde eidem ſoli dicatum, quod unicum & ſangvineum eſt, *vaſi venae portae,* quæ monarchatum in eodem fere obtinens venarum aeque ac arteriarum uſum praebet, delibandae operam navo. Hujus radices per diverſas abdominis partes v. g. per venas meſaraicas & haemorrhoidalem internam, teſte prælaudato *Ortlobio l. c.* per venas ex ventriculo, omento, pancreate & ramo ſplenico refluas primum diſperſae, poſt ab exilisſimis capillamentis tubulisque anguſtioribus in ramos auguſtiores abeuntes, tandem in unum truncum coaleſcentes totae totae, quantae quantae, ipſum hepar illic loci, (ubi exiguae quaedam protuberantiae Graecis πύλαι dictae, quae etiam ipſi portae nomen dederunt, una tamen inſignior, cui omentum connectitur, experientia Excell. *Vateri* in phyſiol. experimental. *ſ. 7. c. 7. theſ. 8. p. 482.* quam Spigelius lobi nomine deſignat, utrinque conſpiciuntur,) intrant omnemque ſangvinem in ejus cavum ad inſtar venarum deponunt. Arteriarum vero dignitatem induit idem ille truncus, quando ab auguſtiori ſpatio in anguſtius quoddam tendit, i. e. quando poſtmodum in ramificationes innumerabiles disſeminatur, quosdam ſtatim ramulos in extremos faciſculos & apices, in veſicam felleam, eorumque complures in hujus collum, rariores vero in fundum, abeuntes propagando & de ſe ſpargendo ſicque omnibus jecoris plagis ſangvinem adducendo, quandam hujus oleoſam partem in radices & ductus cholodochos pro futura bile deponendo, majore vero ad venae cavae ſurculos ejusque truncum aſcendentem; & ſeroſa quadam ad conceptaculum commune Pecqveti & vaſa lymphatica derivando ſicque cum iisdem cor conſcendendo. Huic notabiliori trunco etiam *venam cavam* annumerare convenit, quae in tranſitu quaſi (hepar enim caudice tenus

 ſal-

ſaltem ſtringit) tres aut quatuor juxta Excell. *Vaterum l. c.*, quinque vero juxta B. *Petermannum*, in ſcrutinio icteri ex calculis veſiculae fellis occaſione caſus cujusdam ſingularis *c. 1. §. 8.*, ramificationes grandiores ex jecoris ſubſtantia recipit, quae ſvaſore *Ortlobio l. c.* hepaticarum nomine non incongrue appellarentur. Quomodo autem hujus rami à portae ramis differant, Excell. *Wedelius phyſiolog. reform. c. 10. p. 328.* docte ſatis dirimit: Ne repetam, quae de miniato per hujus ſurculos ſucco cor conſcendente ſuperius dixi. Ne inſalutatam a. *Arteriam* relinquam, paucis etiam, quantum convenit, eam perveſtigaturus ſum. Unicam hanc, dictam *hepaticam* & ab arteria cœliaca, cujus ramus dexter eſt, oriundam hepar nanciſcitur, licet exilis admodum ſit, habita comparatione ad viſceris molem. Parique modo in ramos, licet exiliores, etiam diſpeſcitur & in ſolas capſulae communis partes & vaſa ſecundum *Gliſſonium in Anatom. hepatis c. 29.* minime deſinit, verum cum & prope venam portae non convexam ſolum viſceris partem, uti multis viſum, ſed intimiorem ejus ſubſtantiam ingreditur ſuumque ſangvinem apicibus iſtis & folliculis venae portae extremis largitur. Eum arteriae cœliacae ramum non tantum ad jecur, ſed ejusdem etiam veſiculam abire, multoque majorem eſſe, quam olim Anatomici voluere & vaginam ubique comitari Clariſſ. *Pechlinus l. 1. obſervat. 59.* orbi literato detexit & *Ruyſchius*, quod magis mirere, arterias novas hepaticas communicantes cum arteria hepatica a vaſis diaphragmatis originem ſuam trahentes & convexam ſeu gibbam ejus partem perſtringentes *in reſponſ. ad epiſtol. Anatom. IX.* poſteritati tradidit. Quid tandem de viſceris hujus USU proferam, vix ac ne vix quidem ſatis conſtituere adhuc dum audeo. Neque enim quidquam abeſt, quin aeque tantis fere jecur hodie obnoxium ſit dubitationum & litigiorum velitationibus atque lien vel unquam fuit & adhuc dum hodie eſt. Nonnullis, inter quos multum operae ſuo tempore inſumens *Diemerbrockius* & poſt eum *Waldſchmidius diſputat. medic. diſputat. 9. p. m.*

84.

84. & ſeqv. de ſangvificat. quæ fit in hepate, ſeptem argumentis vires ſuas experiens, ſepultum ſangvificationis munus in eo rurſus excitare anniſi ſunt. Alii chylum ab eo praeparari exiſtimarunt, ut a corde facilius in ſangvinem transmutetur. Alii, a quibus *Sylvius* etiam ſtetit, per Porum hepaticum bilem ſanguini commiſceri commenti ſunt. Rurſus alii, in quam ſententiam *Gliſſonius* & *Malpighius* ipſi diſceſſere, ſangvinem hic a bile defaecari adeoque depurari rati ſunt. Omnes tamen doctisſimi non minus ac ſagacisſimi viri, praecipue *Bohnius*, *Wedelius*, *Ettmüllerus*, *Petermannus*, *Ortlobius*, *Bergerus*, *Vaterus* & alii plurimi, ſua quisque laude, in eo quidem conveniunt, quod illud *ſecretorii & colatorii* munere fungatur, ſeu quod generandae bili inſerviat. Materia vero, ex qua bilis fit, nondum omnibus eadem. Supra laudatus *B. Petermannus l. c.* lympham ex M. Sea per acinos ſequeſtratam tuetur & ex hujus viſcidiore parte, cum fluidior ad receptaculum commune derivetur, ſenſim atque ſenſim, cum in fundum veſiculae, tum in ductum hepaticum penetrante, inibi demum amareſcere & in bilem inſtar aceti transmutari putat. Excell. *Vaterus l. c.* contra ea ſangvinem, cui dicatur, eligit in plexibus & tubulis jecoris ulterius digeſtum novisque Spiritibus perfectum & partes ejus non aquoſas, quae in tubulos lymphaticos, ſed ſalinas & oleoſas, ſero etiam dilutas quae in poros biliarios mittuntur & in bilem filtrantur. Cui alterutrius ſententiae, cum utraque ſatis ingenioſa non minus quam probabilis videatur, num ſubſcriberem, vix ſolus animum colligere ſuſtinuiſſem, niſi Excell. *Bergerus*, ut collegae ſuo adſtipularer, pollicem mihi presſiſſet: Singularis, inquiens *l. c.* §. *2. p. 212.* adeo venarum portae arteriisque reſpondens eſt, conformatio & extremarum ejus propaginum cum vaſis biliariis arcta conjunctio, collectioque in faſciculos & horum vaſorum communio, arteriae vero jecorariae propaginibus ductus biliarii copia & amplitudine ſua multum ſuperiores, ut diſpar omnino utrorumque vaſorum ſit proportio,

Malpighii Gliſſoniique ſententiae accedere omnemque bilis materiam unius portae venis acceptam referre debere nos jubet. Cum enim glandulae, quas in hepate omnes alias crediderunt vana opinione Autores, revera nullae ſint, easque ſolum venae portae ramificationes in extremos faſciculos & apices wie knöpfflein (qui ſpecie glandularum oculis multorum etiam clariſſimorum virorum & ipſius Malpighii illuſere,) artificioſe contortuplicatae mentiantur, hoc ipſo etiam efficitur *a priori,* in his neque lympham colligi, neque eam a ſangvine pro bile futura ſequeſtrari, ſed ſolum ſangvinem ejusdem venae pro hâc eâdem inibi unice elaborari. Ignoſcant itaque mihi manes Petermanniani, quod me iis hac vice perverſum geram. Idem etiam *a poſteriori* praedicata bilis, quale eſt inflammabilitas (exſiccata enim inſtar picis ardet) & operationes chimicae confirmant. Si enim ſola viſcidior lympha bilem conſtitueret, certe eadem ejusmodi praedicatis minime clara eſſet. Sic deſtillata bilis oleum largiori quantitate fundit; ut plures alias reſolutiones ac compoſitiones cum aliis nunc taceam, de quibus vid. laudatus Bohnius *circul. Anatomico-phyſiolog. progymnaſmate XVII.*, *Tackenius Hippocrat. chimic. c. 12.* & Excell. *Hartmannus* in corollariis *ad Diſſertat. de bile,* de variis circa fel bubulum a ſe inſtitutis experimentis. Tametſi autem extra omnem dubitationis aleam jam ſit, ſuccum bilioſum eſſe venae portae ſangvinis, non a. lymphae, fœtum, nihilo ſecius tamen exceptioni illi *Petermannianae l. c.* quippe quae bilem formaliter & qua talem hepati ac maſſae ſangvineae vel ex eo non inexiſtere contendit, quod aeque illud atque haec, ſi ita eſſet, amareſceret: quippe quae inquam, ſangvinem cum arterioſum, tum venoſum etiam examinans in neutro bilem actualem offendit, cujus amaritiei efficacia in liquore illo celari nequiret, quae revera crambes *Pauli Minii* Bononienſis *lib. de diſquiſit. Anatom.* bis cocta eſt, regerendum eſſe exiſtimo eadem cum ſaepe laudato *Bohnio l. c. p. 269.* diſtinctione habita inter connubium & mixtionem

natu-

naturalem, quae intimior adhuc eſt praeternaturali; cujus evidens in laudato a me ſymptomate argumentum habemus, ubi bilis ſangvini & ſero non adeo arcte nubit, quæ non Urinam & cutem peregrino colore tingeret: & denique inter inſtillationem ſangvini artificialem, quae ſuperficiaria ſolum eſt, nec bilis moleculas ſufficienti modo obtundit. Niſi quod per viſcidiorem lympham ſangvinem intelligi velit & verbis tantum ludere videatur idem ille beatae memoriae vir.

Reſtat, ut de *cyſti felleâ* ejusq; vaſis excretoriis propriis, quæ biliaria nuncupantur ſcitu quaedam neceſſaria etiam evolvam. Haec tribus tunicis, *extimâ*, tenujori & membranea, quam à peritonæo mutuatur; *media* carnoſa ſeu muſculoſa & fibroſa, fibris longitudinalibus, rectis & obliquis, à cervice ad fundum protractis; & demum *intima*, nervea, maxime ſenſibili vel potius tendinea, cui cruſta mucoſa ſuperſtrata eſt, fibrisque è contra transverſalibus, quarum beneficicio ſe ipſa ſtringit ſuccumque bilioſum propellit, *contexta* & *ſita* in cavo jecoris hujusque parti ſimae ſeu concavae adhaerens, *fundo* gaudet pyri formi, cujus pediculum ductus cyſticus deſignat, deorſumque, ne quid liquoris ſponte elabatur rurſus, propendente & cervice valvuloſa, ab interiore tunica conſtructa, ſurſum pariter atque oblique verſus inteſtina porrecta & cum prodeunte è cavitate veſiculae canale ſeu *ductu cyſtico*, qui eo in loco, ubi etiam conjungitur, amplitudinem pennae gallinaceae adaequat, ſubſtantia carnoſiore, quae Annuli fibroſi nomine apud Anatomicos venit, circa principium ſuum munitus eſt ductumque à cervice anguſtiorem reddit, ubi cum *poro bilario* ſeu ductu hepatico, (ex ipſo hepate proveniente, ramis primum in eo grandioribus, poſtea ſurculis capillaribus innumerabilem in modum per illud ſparſis, qui colligentes ipſi ſe ad ſimilitudinem propaginum portae ex minimis in majores, rurſumque ac iterum majores in caudicem poſtremo, abeunt in eundem porum, vid. praelaudatus *Excell. Bergerus l. c. 210.*) coaleſcit,

utro-

utroque deinde deſinente canale in truncum unum communem, dictum cholodochum, qui rectus deorſum tendens in poſticam circa finem amplae duodeni cavitatis partem itinere obliquo, ne quid ab inteſtino in ductum hunc hepeticum & cyſticum illabatur, neve regurgitet, inter duas tunicas prope fines pancreatici per anguſtiorem inſertionem irrepit, fibris annularibus & hujus orificium & totum tractum gaudendo. Caeterum in cyſtico ductu ſecundum longitudinem aperto, quod à ſaepe memorato *B. Ortlobio l. c. p. 131.* mutuor, diverſa apparent Oſtiola ductulorum, quorum majorem in cervicem folliculi vel truncum communem determinantem *Gliſſonius in Anatom. hepatis c. 13:* minores *Perraultius* & *Bohnius l. c. p. 271.* detexerunt & prout itidem aliquoties laudatus *Vaterus l. c. p. 481.* propterea cyſt-hepatici vocati, quia immediate in veſiculam felleam tranſeunt; cum tamen ſecuudum mentem jam etiam ſemel atque iterum laudati *Bergeri l. c. p. 219.* melius hepati-cyſtici dicerentur, quia ex vaſculis jecorariis poroque hepatico oriundi omnes ſupra cervicem illius cyſtico ductui vel ipſi cyſti committuntur. Non eadem tamen hepatica & cyſtica ſeu veſicaria bilis eſt. Illa, quae ab hepate per porum bilarium profluit, fluidior magis, & hinc mitioris ſaporis eſt atque etiam plane dulc-amara dilutiorisque flavedinis. Haec receptaculi bilioſi fœtus, viroris inſignioris obſcuriorisque coloris eſt atque longe acrior illa, vid. *Bohnius l. c. p. 266.* & *Ortlob. l. c. p. 134.* Cujus differentia praeprimis quaerenda eſt in mora, qua humores omnes acredinem quandam acidam acquirunt. Neque etiam modus, quo ſecernitur & generatur, omnibus idem. Rejectis, quem alii ab igne vitali, alii à fermentatione arcesſunt, ſolum nudum impulſum & transcolationem in quibusdam, non in vaſa ſolum jecoris, ſed in veſiculam quoque cyſticam, propagatis portae ramulis & in extremos apices ſeu faciſculos, quorum ſupra jam aliquoties memini, abeuntibus, non vero in glandulis hepatis, mechanicam amplector, dum aquoſae partes in lymphati-

co

cos, crasſiores in biliarios tubulos ſegregantur. Praeterea folliculus iſte Arteria quoque ſua cyſtica, Venulis ad cavam & portam hiantibus, nervulis & vaſis lymphaticis inſtructus eſt. His, quae de hoſpitio bilis dicenda fuerunt, ſatis ſtatuminatis, etiam motum ejusdemque uſum cum *ſtatu praeternaturali* paucisſimis, ne legentibus faſtidium bilioſae materiae procreare videar, vel obiter ſaltem addam. *Motus bilis* (qui continuus ſemper eſt in ſtatu naturali, excepto quod in praeternaturali, ubi interruptus eſt ex ſangvinis vacillantis ad hepar appulſu, de quo *Bohnius l. c.* §. *27. p. 275.*) duplex viſitur & gaudet vel *termino a quo* vel *termino ad quem.* Terminus a quo *primus* eſt cum ex jecore, a quo continuo & ſemper aliquid bilis inteſtinorum arundo recipit ; tum ex folliculo fellis, cujus *motus interpolatus* eſt & tum temporis fit, quando in illo eodem copioſius congeſta hepatica *veſicariam* ad ſui expulſionem ſtimulat. *Ille* iterum eſt vel *immediatus,* quando ſuccus bilioſus ex hepate *aut* per porum bilarium ſeu ductum vel truncum hepaticum immediate ad amplam duodeni cavitatem fluit ; *aut* a poro hepatico per cyſticum immediate in veſiculam felleam transmittitur : vel *mediatus,* quando eadem ex jecoris gremio egrediens, non ſolum per ductum cyſticum communem, ſed etiam hepati-cyſticos veſiculae dictae committitur & demum cavo inteſtinorum. *Hic* vero i. e. terminus ex folliculo alius etiam eſt *cyſti proprius,* qui *diaſtole* ſ. quando bilis ad eam corrivat, & *ſyſtole* ſ. quando ejus fibrae motrices ſe contrahunt, abſolvitur: alius autem *minus proprius* ſed *externus magis,* qui a ventriculo alimentis turgido bilemque ad inteſtina compresſione ſua amandante provenit. Terminus ad quem *ultimus* eſt *inteſtinum* duodenum, ad quod utraque cum veſicaria, tum hepatica extruditur. Cujus ad illud *corrivatio 1. eſt modo parcior,* quando inteſtina chylo carent, modo *uberior,* quando eodem illa referta ſunt & turgent. 2. fit vel *conjunctim,* quando utraque bilis ſimul uberius parciusve illinc excernitur ; *vel ſeparatim,* quando hepatica per porum ſibi pro-

 prium

prium modo copioſius, modo minus duodenum affluit. Quærendum autem hic, *quando bilis* a poro hepatico per *cyſticum* immediate in *cyſtim* felleam transmittatur? Excell. *Bergero l. c.* §. *7. p. 221.* eo tempore abire videtur, quo *cyſtis* bile minus repleta, minusque compreſſa eam facile recipit. Sed *quomodo?* quando illic loci, ubi ad bivium, ut verba *B. Ortlobii l. c.* §. *14. p. 135.* transſcribam, perventum eſt pars ad inteſtina labitur, pars veſiculam accedit, illaque bilis propter ductus communis anguſtiam obliquamque inſertionem ad duodemum tardius divertitur & per ductum cyſticum illud folliculi diverſorium quodammodo ſubit. *Et quam diu* quæſo? Dum ſe contrahat veſicula vel diſtenta a collecta in eandem bilis copia ac deinde conſtricta, vel compreſſa a turgido ingeſtis ventriculo, (quae omnia, ſi impulſum & turgeſcentiam ipſius ſangvinis in hepate addideris, etiam cauſam motus conſtituunt] & quandam illius partem, quam ingurgitavit, evomat; bilis hepaticae motum ex poro ſuo per ductum communem cum adjuvando, tum quoque accelerando communemque cum ea ad canalem inteſtinalem iter ingrediendo. Declivitas enim *cyſtis* ejusque capax fundum atque cervicis acclivitas pro ſecernenda bile conſtrictionem ſui vel compreſſionem ſemper expoſcit, cujus experimentum ſiquis deſiderat, eum ad *Collectores Bibl. Anatom.* item ad *Bohnii l. c.* §. *10. p. 265.* remitto. Tandem *qua de re?* Ut ibidem ulteriori digeſtioni particulis ejus aqueis aliquo modo exhalantibus perficiatur amaritiemque acquirat atque potentius exſerat eandem in chylificationem in inteſtinis perficiendam, neve eadem largiori illius affluxu turbetur ac praecipitetur. Ex dictis igitur jam liquet, *ab hepate* bilem ſecerni *active*, a folliculo autem tantum paſſive. Utrum vero *a radicibus cyſticis* etiam bile repleatur veſica, cum Autores, quos pro ſacra anchora huc usque habui, in diverſos diſcedant ſententias, *Bohnio l. & p. c.* & *Wedelio in Diſſertat. de Bile c. 1. theſ. 9. pag. 9.* obſervationi *Blaſii* & celeberrimi *Pechlini* in canibus inſtitutae *faventibus: contra ea B. Ortlobio l. c.* §. *14. p. 135.*

135. iſtis ſolum uſum connexionis folliculi cum hepate infra cervicem cyſtis ſitis adſcribente, maxime cum ſe aliter edoctum eſſe poſtmodum profiteatur & experimenta illorum contraria ibidem adjiciat: & Excell. *Bergero* plane nullas fundo veſicae infixas dari ponente *l. c.* §. *8. p. 222.* in medio propterea relinquo, quod tantis viris, a quibus informari geſtio, non adverſari, ſed poſteriores indagationes ab iis ſolum expectare arridet. Caeterum de dictis omnibus virorum horum & ulla ferme exceptione majorum mirus conſenſus eſt.

Praeterea reliqvum eſt, ut asſeram nullum dari motum contrarium, ſiquidem bili vel in portae, unde venit, ramificationes vel in ſurculos cavae reditus naturalis nullus nullaque via patet. Ecquis ſepultam etiam opinionem de bilis à folliculo ſecretae ad hepar & deinde per cavam ad dextrum cordis ventriculum adductione cum *Sylvio in Diſſert. p. 90.* cum *Jacobo de Back Diſſertat. de corde p. 130. 131.* & *Munnickio l. de re Anatom. p. 59.* ſi quidem fibroſa & muſculoſa illa machina ductuum praelaudatorum iſti pervicaci motui repugnat, amplius miraturus erit? Antequam de uſu ejus dicam notanda adhuc veniunt, quæ de organis bilis ſecretioni dicatis præſupponenda habeo. Ea autem ſunt ex parte *inchoantia,* ſive quæ partes ad ſecedendum præparant, qualis eſt *lien* ſuffragio præclarisſimorum in ſummoque doctrinæ culmine locatorum virorum *Ortlobii l. c. Diſſ. 17.* §. *1. p. 121. Vateri l. c. ſect. 7. c. 8. theſ. 9. p. 487. Bergeri l. c. c. 13.* §. *1. p. 206. Wedelii phyſ. reform. p. 304. & alibi Bohnii l. c. progymn. 18.* §. *19. p. 290.* & aliorum plurimorum rebus Anatomicis excellentium; ex parte *perficientia* ſ. quibus bilis ſecretio & generatio actu inſtituitur, quale eſt *hepar*; id quod contra *Helmontium in tract.* quem inſcripſit *Scholarum humoriſt. paſſ. decept. c. 3.* §. *11. p. m. 184.* ejusque aſſeclas annotandum duco. Illius enim generationi revera inſervit ſangvis â liene refluus tanquam hujus productum. Hujus tandem amari & flaveſcentis naturalis liquoris, quibusdam flos, balſamum, aroma & purga-

mentum ſangvinis, ſed utile dictum, a ſangvine ſolum cum in hepate ſecreti, tum in cyſti collecti per hujusque ductum in cholodochum prope pancreaticum, qui Virſungianus ab inventore dicitur communique in homine inſertionis oſtio in illud gaudet, atque ex cholodocho in duodenum expreſſi intrinſeca craſis & textura omnibus quidem in ſalinorum claſſem relata non plane diſplicet, ſed de illius bilioſi ſalis natura mirum in modum ambiguut. *Nonnulli alcalicum* id eſſe exclamant, quod primum *amarities* inſignis adeſt, deinde bilis poſt inſtillata *acida* præcipitatur ac effervеſcit, poſtremo arte chimica exinde elaboratum ad guſtum ſenſum ſiſtitur. Verum quoad 1. tantum abeſt, ut acrimonia indolem ſuam ſali alcalico acceptam referat, ut potius ſcoriis ſalinis a ſero ſangvinis ſegregatis & partibus ſulphureis oleoſis & viſcoſis unitis, moleculas tales rigidas, acres aſperasque, efformantibus: utpote, quod cum tantillo ſulphuris & aquæ mixtum ſal teſte ſæpius laudato *Ortlobio l. c. §. 13. p. 133.* amaritiem conſimilem producat. Quod experimentum fautores ſalis *alcalici* etiam agnoſcunt. Alterum Excell. *Bohnius l. c. prog. 10. p. 152.* eluſit. Tertium non niſi cum grano ſalis concedo, ineſſe nimirum bili ſal alcali, ſed tenaculo & vinculo ſulphuris immerſum ſeu ſub oleoſarum particularum tegmine deliteſcens, vid. *B. Ettmullerus Oper. Med. theor. & pract. Inſtitut. phyſiol. c. 13. p. 119.* quod neque a fortisſimo, neque a leni etiam acido effervеſcit atque idem ex phlegmatis ſeu aquæ in bile præſentia æque ac facillima ejus cum aqua communi miſcela patet. Ex quo præſtat ab illorum magis partibus ſtare, qui *ſal ſalſum volatile* docent aut *acido-ſalſum urinoſum*: utpote quod omni acido orbum penitus non eſt, nec ullam immutationem induit bilis ab affuſo ei liquore C. C. ſuccinato, arcano duplicato & aliis hujus generis pluribus conſentiente *Ortlobio l. c.* Intrinſecæ externas qualitates adjungens, in bile naturaliter conſtituta præterea deprehendo, primum *temperatam fluiditatem* cum aliquali *viſciditate*, quæ olei aut

ſul-

ſulphuris progenies eſt & ſalinarum particularum interventu fluiditatem contemperatam acquirit, ſine quibus eadem iterum perit aut quarum defectus ejusdem ſtatum p. n. lem ſignat, de quo mox plura: deinde *amaritiem*, de qua jam paulo ante affatim dictum: tandem *colorem* ex *flavo virideſcentem*, quæ omnia pro aſſumtis & diverſitate ſanguinis apprime variant. Adhæc bili etiam ineſt *lixiviale* & *ſaponarium* quid, ex attactu & ſpumeſcentia ſatis notabilia: item *aqueum* vel *ſeroſum*, quod acrimoniam ejus obtundit, ne ductus ſuos vel inteſtina vellicet. Jam cognitis ſatis etiam qualitatibus non amplius quenquam latere poteſt *uſus*. *Eſt* autem ſi in genere eum ſpectes, bilis ratione *viſcidarum* & *gelatinoſarum* particularum, quibus maximam partem *gaudet*, *vinculum intermedium* ſangvinis & chyli, quem illi intimius combinat, non aliter ac vitellum ovi reſinas & olea deſtillata liquoribus aqueis, de quib. *Bohnius l. c. p. 153.* in ſpecie vero, ratione *dictarum* eam chylo mixturam conciliat, ut ſanguini absq; effervefcentia turbatione aut præcipitatione admiſceri posſit, illeque huic; Bilis etiam chylo eam ob cauſam admiſcetur, ut hunc ab acore, corruptione ac putredine ſimili modo ac lupulus cereviſiam præſervet: *harum* porro ratione i. e. *lævium, ramoſarum* & *flexibilium* aculeatus quoque acres, acidas ſalſas ciborum moleculas involvit & mitigat. *Ratione* vero *acrium* & *ſalinarum* gelatinoſas & lacteas maſſæ alimentoſæ in chylo adhuc dum exiſtentes incidit, diſſolvit & attenuat; ſulphureas contra & ſalinas puriores chymi a recrementis ſuis liberat, ut in vaſa lactea filtrari & cum ſangvine commiſceri posſint (quemadmodum alias reſinoſa & oleoſa Salibus prius ſoluta aqueis uniri ſolent) vid. Excell. *Vaterus l. c. ſ. 7. c. 26. theſ. 12. p. 619.* ſicque chylum ob illas moleculas pigrius motum excitat; harum ratione item *mucum inteſtinorum* a cibis reſiduum, ut pori lactei transcolando chylo pateant, abſtergit illaque ad periſtalticum motum pro extruſione fæcum ſtimulat. Ex quibus omnibus inferre licet non omnem bilem ut excrementum ad inte-

 ſtina

ſtina deferri, ſed chyloſeos continuandæ gratia. Nec tamen chylo tota etiam impenditur, ſed plures ejus partes excrementis commixtæ cum iisdem ejiciuntur. In mentem venit, quare *bili* admiſceatur ſuccus pancreaticus? Notandum bilem continuo rivo, etiam deficiente chylo, inteſtinorum tubum affluere, unde natura provida, ne inteſtinorum tunicas mucum omnem abſtergendo vellicaret, comitem ei dedit ſuccum pancreaticum non tamen acidum, uti *Sylvio, Swalbio* & aliis placuit, ſed *aqueum, viſcidum* & modice ſalinum, qui eidem tam in, quam ante chyli diſtributionem, imo ſemper & ſingulis momentis, etiam nullo exiſtente chylo, in duodeno admiſcetur, ut acrimoniam bilioſam, nimiam temperet Maſſæque alimentaris reſolutioni chyloſisque partibus attenuandis adiutricem operam præſtet. Jam tandem conſiderandus venit *ſtatus bilis p. n.- lis.* Hæc multis modis variat eſtque 1. quoad *quantitatem* vel *nimia* & evadit tali modo corpori moleſta (*α.*) *vitio materiae,* ſangvine plus juſto majori particularum bileſcentium copia imprægnato, quas eidem infricant dulcia facile fermenteſcibilia, oleoſa, pingvia, aromatica, acria & ſpirituoſiora cum alimenta, tum quoque ipſa etiam medicamenta, materiam bili uberiorem ſuppeditantia & humores ſulphuris cœnoſi, crasſi, terrei tartareique congeſtione inficientia; item aer calidior, ira, motus corporis nimius & aliæ, quæ lympham ſanguinis vehiculum quando abſumunt, M. Sam inſpiſſeſcunt viſcoſioremque reddunt & bilem oleoſitate abundantem gignunt. Et prout laudata tanquam *cauſa efficiens externa* concurrunt, ita ut *interna efficiens* ſunt (*β*) *vitia viſcerum,* a quibus inſimul augetur bilis. Huc itaque facit ductuum biliferorum laxitas vel excernens multum bilis, vel imbibens, *hepar* ſangvine in vaſis *portae* ſulphureo & oleoſiori plus juſto refertum ſicque labe ſua non omni certe expers. Vel bilis etiam eſt *deficiens,* utroque itidem vitio; v. g. *materiae,* cum *viſcidae* tum *auſterae.* Par ratio eſt aëris pluvii & frigidi, vitæ item ſedentariae, nimiae & *triſtitiae,* quæ omnia motui

debito

debito ſangvinis obicem ponunt, adducendo ei lentorem & viſciditatem, vitio hoc in bilem ipſam poſtmodum redundante. Porro etiam deficiens eſt *vitio organorum biliariorum*, qualis eſt horum *anguſtia*, a ſulphure cœnoſo, terreo & tartareo ſeu ab alia quacunque *cauſa producta*, atque etiam ipſius bilem cum conſtituentis *hepatis* tumor, inflammatio & ſcirrhus, tum *praeparantis* lienis eosdem affectus ſubeuntis. 2. quoad *qualitatem* eſt vel *viſcidior, oleoſior* & *glutinoſior* plus ſolito; (Quando enim ſulphureæ, non balſamicæ ſed inertes abundant, ſalinæ vero volatiles particulæ deficiunt, *lentor, crasſities* & *viſciditas* præſto eſt,) *vel acrior*, ſalinis acidis non volatilibus moleculis copioſe præſentibus, ſulphureis & aqueis blandis deficientibus, & *auſtera*, præter acidas multis terreſtribus & tartareis cœnoſis particulis fœta. Denique 3. quoad *motum* eſt vel *imminuta* α. vitio *ſui ipſius*, quando affecta lentore & viſciditate ſtagnat ſ. quieta & tarda ſubſiſtit, nec decenter vel plane non ad inteſtinorum arundinem corrivat, ſicque facile ea quiete contactuque immediato viſcidarum ſuarum particularum coherere inque calculos concreſcere vel ad minimum granulata fieri apta nata eſt. β. *Vitio veſiculae ſuae*, quando hujus tunicarum, â ſucci bilioſi diuturniore retentione laxatarum, ſyſtoles aut contractio ſufflaminatur: γ. *Vitio ductus* quoque *cholodochi*, qui vel a bile viſcida, hydra illa lernea, vel alio ejus generis humore, vel etiam a flatibus inteſtino duodeno nimis diſtento, obſtrui poteſt & comprimi, vel a dictis flatibus grosſioribus, vel a partium adiacentium i. e. inteſtinorum convulſionibus, quorum illi ſe ab his non ex difficili, quanquam rarisſime, in conſenſum trahi patiuntur. Vel porro *aucta* a bile fluidiore & acriore itemque a cyſtis orificio reſoluto, quam, cum ad meum inſtitutum non faciat, per tranſennam tantum aſpicere placet. Vel denique *depravata*, quando motus ejus naturalis vel ob ductuum obſtructiones vel ob viſciditatem acquiſitam & alias jam dictas cauſas ad inteſtina tollitur, ſicque per vias p. n. les & minus adæquatas in-

ſolitis

ſolitis inſvetisque humoribus v. g. ſero ſangvinis admiſcetur.

Eluctatus ſic per χοληποιήσεως ſcopulos, in quibus, niſi planos eos feciſſem, explicaturus Icterum quoad cauſam immediatam graviter alliſus eſſem, eluctatus ſic, inquam, redeo ad effuſionem bilis & infectionem ſuccorum vitalium à quibus tam diu digresſus eram, nullam amplius expoſitionis meae labyrinthum extimeſcendo. Quandocunque itaque bilis à natura ad inteſtinorum tubum corrivatura vel ex apicibus bilariis, aliis glandulae viſis, vel è poris & tubulis hepatis, quod ejus colatorium eſt, ad porum hepaticum, circa originem viſciditate ſui vel circa medium ex hoc ad vaſa bilaria cyſtica in folliculum fellis delata, vel ex hac per ductum iterum cyſticum circa inſertionem ob ductus cholodochi (quanquam non phyſice i. e. in totum ſemper, tamen ad minimum medice i. e. in tantum ſaltem) obſtructum oſcillum neceſſitate organica in duodenum imminute excernitur, ſequitur eam vel ad locum affectum, qui eſt ductus hepaticus & cyſticus, vel ad partem mandantem, quod eſt hepar cum poris & apicibus ſuis ſupra laudatis depravate fluere atque redundare & ſic in extremitatibus venae portae ſangvini commixtam aut cum majore hujus parte (ceu ſuperius dixi,) venae cavae ſurculos ejusque truncum, aut cum quadam hujus ſeroſa ipſa vaſa lymphatica, conceptaculum *Pecqveti*, atque ipſum cor intrare ac effundi tandem in omnem corporis ambitum. Quam in rem pro illuſtratione majori ſequens experimentum ex uſu inſignisſimo erit. Immittitur v. g. per fiſtulam liquor croco tinctus vel alius coloratus in venam portae, ubi videmus hepatis prius compage ejusque ipſis exhemis vaſorum apicibus poſtea cyſtis felleae qua vaſculis, qua interiore tunica repletis, majorem hujus liquoris partem per cavam redire ipſumque cor ſic irrorare. Atque ita laudatum bilioſi humoris effuſionem meam ſatis expoſitam per hanc ipſam mechanicam puto. Cum enim particularum bilioſarum intima non amplius in ſan-

gvine

gvine mixtio, ſed laxa, ſuperficialis & confuſanea jam adſit, facili negotio illae ab hoc in extimis vaſis capillaribus ſecedunt & tubulis ſecretoriis aliis ſecernuntur, ita ut illorum ratione totus corporis ambitus ſit vel croceus vel fuſcus, horum vero urina vel ſatutate flava vel atramenti ſimillima. *Waldſchmidius Inſtitut Medic. Rational. c. 14. §. 71. p. m. 46.* opinatur icterum oriri ab obſtructione vaſorum capillarium in ambitu corporis, ob ſanguinis viſciditatem & flavarum particularum ab aliis in eo ſeceſſione: Sed cum haec cauſa non immediatè coincidat cum morbo, praeſtat effuſionem & infectionem amplecti. Infectionis terminus difficilis cognitu minimè etiam erit, cūm non veneroſam ſed mechanicam & (ſit venia verbo) tinctoriam me intelligere cuilibet perſvadeam; non aliter ac ſi in officinis tingentium linteamina ac panni coloratis liquoribus imbuuntur. Dixi infectionem ſuccorum vitalium, ſangvinis puta & lymphae, quatenus vel conjunctim vel ſeorſim de tinctura illa fuſca participant ſicque à priſtino ſuo ſtatu recedunt; quanquam ſerum, quod intimius prae ſangvine poros cutis intrat, ſpeciatim illi nubat. Eſt vero utraque, cum effuſio, tum infectio, aequalis uti in motu, ut hinc nullas in cute protuberantias vel tumores videas: ita & omnibus partibus lege circulationis usque eò communis, ut vel tunica oculi adnata & ungves cum manuum tum pedum, vel ipſa M. Sea & ſerum ſint liquore illo fuſco infecta.

Neque illud *Helmontii l. c. c. 5. §. 5. p. m. 195.*, ubi duorum ictericorū cadaverum diſſectorum atq; orificiorum felleorum non obſtructorum meminit; neque illud *Sylvii l. d. Med. Pr. l. 1. c. 46. §. 7.* ubi in diſſectione ictericorum nonſemper obſtructum eſſe ductum aut cyſticum aut inteſtinalem approbat; mihi aliquo modo obſtabit, quo minus in laudatis à me antecedente paragrapho perſiſtam: conſentiente mecum *Thoma Willis Pharmacevt. Rat. p. 2. ſ. 2. c. 1.*, qui *pag. m. 141.* icteri cauſam in extremos utriusque generis vaſorum, ſcil. venae portae & pori bilarii, fines ponit & *p. 142.*

humorem felleum interdum in mediis pori bilarii ductibus intercipi, nonunquam ipſam veſicam felleam aut meatum cyſticum, etſi rarius, nonunquam *p. 143.* ductum communem obſtrui & ſic cauſam in eo potisſimum conſiſtere opinatur, quod bilis in hepate ſecreta & ob vias obſtructas non omnino aut ſatis ad veſicam felleam transferatur, quin necesſe habeat in M. Seam regurgitare. Enimvero ut *Helmontio* ea, qua fieri poteſt, brevitate reſpondeam, admitto quidem illa orificia obſtructa non fuisſe, ſed an ſemper ita contingat icterus? de hoc quaeſtio eſt. Quod enim à venis menſenterii infra jecur cruore flavo ac ſtercoreo ſcatentibus productus ſit icterus, id ſingulare quid fuisſe dico &, an ſemper eodem modo producatur, non arbitrario ambigo. Extraordinaria enim non faciunt regulam & unius poſitio non eſt alterius ſemper excluſio. Deinde quanquam *Sylvius l. c.* idem affirmet, alibi tamen in obſtructis ductibus icterum etiam collocat.

Effuſio haec porro eſt cum additamento v. g. *bilioſi humoris.* Nolo tamen crambem coctam denuo apponere, quid enim bilis ſit, ſupra ſatis oſtenſum eſt.

Cæterum notandum magnopere, quod praelaudatus *Helmontius*, vir acutisſimi alias judicii, in tantam ingenii ſcyllam incidit, ut omnem bilem in ictero peccare contra ſanam rationem defendendam ſibi ſumſerit & *l. c. c. 5. per tot. p. m. 195. & 196.* ſtercus liquidum atque flavum in venis meſaraicis infra jecor detentum & in venas ſurſum raptum §. *5.* & *7.* quod inferne deſcendere debebat, accuſaverit. Quomodo autem hocce ſtercus naſcatur §. *9.* & ubi ſedeat §. *10.* explicat? Sed cum vix aliquis autorum hac in parte ei applauſerit, nemo non idem a me etiam *expectet.* Cum enim *urina* ictericorum, cui ſpiritum ſalis inſtillavit Ettmüllerus, in ſedimentum viride præcipitatur, (id quod ex *Gladbachio prax. Med. Id. noviſſ. c. de cachexia §. 148. p. 305.* cito,) cur me diutius hic detinere vellem citra exigentem ullius reſponſionis necesſitatem?

Adeoq; inconcuſſum manet bilem peccare in utroq; Ictero,

ſo, quam CAUSAM MEDIATAM PROXIMIOREM cum Medicorum fere omnibus denomino. Cumque etiam de ejus & per conſequens ſanguinis *quantitate,* v. g. ſulphuris cœnoſi, craſſi, terrei, tartarei congeſtione infectioneque humorum & ſuffuſione in corporis habitum; item *qualitate* v.g. lentore, craſſitie, viſcedine & glutinoſitate; & tandem *motu* v. g. quiete, tarditate ac ſecretione deorſum vitiata abunde ſatis dixerim, arridet ſermonis de eo longioris hic contrahere vela, ac ſymptomata exinde pronata obiter ſaltem annotare. *Hujus* generis proinde ſunt, *chlificatio læſa,* quando bilis motus ejusque cum chylo concurſus & miſcella tollitur, *aſſimilatio* chyli, periens ex eadem ratione, hujusque *viſciditas* ac obſtructio vaſorem lacteorum, alvi ſegnities longior, cachexia, menſium paucitas & alia plura, quorum omnium eadem eſt ratio. *Illius* vero ventriculi ac inteſtinorum cruditas, alvi conſtipatio, ſcirrhus hepatis & lienis, ab iisque cachexia, hydrops & icterus, qui gravior tamen hinc omnino oriri poteſt, infarctis non ſolum bilis viſcoſitate poris minoribus, ſed etiam ramis venæ portæ majoribus. Imo fere aſſerere auſit ſupra jam laudatus *Hartmannus, in diſſert. de bile,* omnia hepatis mala a viſcoſitate & hinc orta in ſyſtemate pororum bilariorum obſtructione initium ſumere *c. 5. §. 6*: item illius affectus ſunt *obſtructiones,* bilis granula, ta, calculorum in cyſti fellea generatio, ex iisq; id eſt calculis, icterus; cujus plurima exempla extant apud *Schenkium obſervat. medicinal. l. 3. p. 460.* & ſeqv., *Moebium fundam. phyſiol. c. 14., Bonettum Anatom. Pract. lib. 3. ſ. 18. & Med. Septentrion. l. 3, ſ. 19.* *Iſtius* denique ſunt ſangvis bilioſus, laxitas vaſorum bilariorum eorumque obſtructio, anguſtia & ſiccitas, hepatis dolor, tumor, inflammatio & ſcirrhus. Quando enim hepatis pori laxiores vel ſtrictiores ſunt, ejusque fibræ ſeu villi in officio ceſſant, indecens mox ſeparatio bilis conſurgit. Nec lien miniſter hepatis indictus abire debet: hic enim æque ac meſenterium & renes, imo ipſe ventriculus liquorum ſuorum conſiſtentiâ, ſive bona ſive mala, diſponunt hepar & modificant horumque noxa in illud re-

 dun-

dundat & illius in viſcera laudata, vice verſâ. Viſcera enim infimi ventris ſociata opera in unum finem conſpirant generalem, teſte ſupra laudato Excell. *Wedelio phyſiol. reform. c. 10. §. 9. p. 188.*

Dixi porro effuſionem humoris biliosi per totum corporis habitum, quem SUBJECTUM ADÆQUATUM ac *συμπαθικῶς* affectum conſtituo cum albo oculorum non minus ac temporum regione, quæ fuſcedini illi bilioſæ jus hoſpitalitatis inſimul conceſſerunt. Mirum dictu ejusmodi croceam tincturam ad crines quoque ſe recipere, quales aureos ab obſtructis menſibus in fœmina ictericа *Cornel. Gemma coſmocrit. l. 1. c. 7.* obſervavit. Externarum enim partium, *Coo* judice, is quoque color eſt, qui humorum. Nec internæ etiam immunitatis aliquo privilegio gaudent. Curioſum autem (ne in molem tractatus diſſertationis meæ pagellæ excreviſſe videantur,) ad grandia Obſervationum volumina, quæ multo ſatis labore plurimi autorum concinnarunt, ablego: inprimis ad *Timæum a Güldenklee caſ. med. l. 3. caſ. 28.* qui hepar quoque croceum admiratus eſt, ad *Veſalium l. 5. c. 9. de corp. hum. fabrica* qui illud viride plane adſpexit, ad *Schenckium obſervat. medicinal. l. 3. de ictero p. 465.* qui tum ipſe, tum *Braſſavolus Commentar. ad Aph. 62. l. 4. Hippocrat.* quem ibidem citat, ſangvinem & ſputum luteum viderunt, ad *Hoechſtetterum decur 8. caſ. 3. p. m. 199.* qui & pus ejusdem coloris obſervavit, atque ad *Kerckringium obſ. 57. ſpicil. Anatom.* qui in embryone a matre icterica omnes venas & arterias, omnia oſſa & cartilagines croceas annotavit. Ut *Thoneri obſervat. medicinal., Lucae Tozzi Med. Pr., Bonetti Opera medica* & alios plures taceam. SUBJECTUM vero *principale* mihi ſunt *viſcera ſecretioni,* quod eſt hepar, ejusdemque ductus & apices biliarii, *collectioni,* quæ eſt cyſtis fellea & *eductioni,* qui eſt porus cholodochus, famulantia. *Viae* tandem, per quas ſeſe in corporis habitum diffundit tinctura fuſca, ſunt vaſa lactea, ductus thoracicus, venæ, arteriæ & inſenſiles pori,

Dixi

Dixi tandem *ab obſtructione* modo apicum extremorum, modo ductuum & pororum, modo ipſius etiam veſiculae. Si fateri volo quod res eſt, malui latius reſpectu viarum, in quibus contingit, obſtructionis limites circumſcribere, quam me ſtrictioribus cancellis circumdare ſicque arbitrariam opinionem mordicus tueri: maxime cum ex accuratis autorum clariſſimorum obſervationibus conſtet, icterum ortum ſuum ſaepe traxiſſe aut ex obſtructo ductu cholodocho, aut cyſtico, aut veſicula ipſa, aut hepatico aut ipſis etiam apicibus extremis. Veſiculam felleam & ductum cholodochum lapillis obſtructum in icterico reperit *Nicol. Gvilielm. Beeker* Medic. Viennenſ. *in Miſcall. A. N. C. anno 1670. obſerv. 44.* Ductum cholodochum ipſasque hepatis venas in icterico ſimilibus lapillis obſtructas *Bonnet. l. c. obſervat. 18. Sect. 18. §. 12.* obſervavit. Praeſagit autem animus à quibusdam mihi obiici, non poſſe id, quod ex bile in lapillos concreta contigit, ſimilem in modum ex viſcoſa fieri. Aſt quidni? Nonne ex viſcoſa bile, quando longiori mora parietibus vaſorum ſeſe affixit, icterus oriri poteſt aucta in dies vaſorum bilariorum obſtructione? Hoc cum ita ſit, me non ad alia deproperantem pluribus ejus generis levis armatuare cogitationibus detineri patiar. Nec difficile etiam foret cætera exemplis illuſtrare, ſi cui ob temporis prolixitatem animus eſſet Acta Medicorum Gallorũ, Anglorum & Germanorum aliaque obſervationum agmina pervolvere. Ex ipſis apicibus obſtructis auriginem etiam provenire poſſe, mihi adſtipulatur *Gladbachius l. c. §. 148. p. 304.*; licet ille, ex mente *Malpighii*, folliculos illos extremos venarum pro glandulis bilariis habeat. Jam ipſam obſtructionem vaſorũ bilariorum aggrediens ediſſero, eam fieri denegato itu & reditu humorum in vaſis & poris ſuis & eſſe fœcundam matrem & cauſam plurimorum morborum effectuumque morboſorum; omnemque porro obſtructionis cauſam vel redundare in viarum culpam vel vectorem per mechanicam. Quandocunque enim viis remora obvenit, obſtructiones contingunt veluti aggere

 po-

poſito, ut humores perrumpere nequeant. Obſtruuntur autem viæ & pori vel a cauſa poſitiva, v. g. a viſcidis & tartareis acidis humoribus; vel privativa, quando viæ & pori quaſi ſubſident, **wenn ſie zuſammen fallen/** deficientibus humoribus. Quandocunque porro vectores i. e. humores lentorem, coagulum, concretionem & viſciditatem contrahunt, motus eorum vel perit vel ceſſat. Quicunque enim humor aptus ad fluendum non eſt, is vel pigrè movetur, vel ſubſiſtit & ſtagnat ſtagnandoque denique ſibi & aliis remoram ponit ac infert. Contingit tamen etiã obſtructio ſæpè, quando humores peccant *quantitate.* Quando enim ſangvis minus ſero diluitur ſpisſior eſt; quando bilis magis retorrida & lympha minus diſtemperata, ſpisſior & calidior redditur: unde lymphæ defectus plurimorum morboſorum effectuum autor. Ab hoc ſæpe porus bilarius corrugatur & ſiccior redditur, unde icterus præſto eſt. Idem ille menſium ſuppresſionem ſæpe infert & obſtructionem narium, quibus inter alia inſigniter etiam conflictata eſt Clinica; porumque bilarium ſicciorem redditum & corrugatum exinde eſſe, ſatis probabiliter inferunt: de quibus inferius plura. Poſito enim defectu humoris, ponitur ſiccitas; poſita ſiccitate, ponitur obſtructio. Ea vero eſt vel recens ſeu incipiens & mobilis, vel confirmata, diuturna & immobilis. Porro eſt vel levis & tranſitoria, vel gravis & durans: tandem denique vel partialis & imperfecta, vel totalis & perfecta. Hae ipſæ differentiæ poſtmodum ad notionem icteri commode applicari poterunt, ubi quæſtionem de differentia inter icterum flavum & fuſcum paulo poſt formaturus ſum.

Perluſtraturo tandem CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES, *naturalium* nomine, primum ſe offert *aetas,* qua mediâ icterica mea tum temporis gaudebat, adeoque ſecundum illud *Hippocratis l, 3. aph. 30. ei, quæ ætatem* juvenilem ſuperavit, cholera communis erat. Deinde *temperamentum,* quod *cholericum* & hinc maxime proclive ad icterum. Bene autem novi recentiores eam, quam veteres ingresſi ſunt atque ego in meæ diſſertationis opere ſecutus

ſum,

ſum, temperamentorum diſtinctionem faſtidire: quid vero ſentiam? cordatè dicam. Per bilem cum veteribus tantum abeſt, ut intelligam illud excrementum corporis noſtri, ut hujus potius, uti ex antecedentibus jam ſatis conſtat, ſuccum naturalisſimum ⊖le ⊖lſo aliquando copioſius fœtum, ita tamen adhuc ſangvini & cæterorum humorum craſi commixtum, ut nullam exinde læſionem ſenſibilem actiones naturales habeant. His ex *non naturalium* numero adſtipulatur *aër* inprimis *calidior* & ſiccus. Meæ ictericæ tempus vernale initium icteri extitit, fuſci vero *æſtivum*, quod in motum humores maxime concitat & ad fermentationem eaſdem diſponit, unde difflatâ lymphâ bilis & ſanguinis poſtmodum *viſciditas* præſentanea. *Victus* quidem ratio, an occaſionem ictero dederit, ex hiſtoria & relatione ægræ non conſtat: at quis illum eundem inficiaretur? utpote quem gens Polona (ignoſcant mihi dilectisſimi, conterranei, non quemlibet noſtrum puto) ſæpe quantitatem & qualitatem aſſumendorum excedens graviter, aromatiſatos, acres, ⊖lſos, pingviores & dulcisſimos ſæpe cibos cupiens apprime appetit. Par ratio potus eſt. Videas enim non modicam quantitatem *vini* Hungarici in Polonia conſumi itemque Spiritus frumentacei. Hujus immoderatum uſum provocaſſe icterum ex eoque aſcitem lethalem *Sylvius prax. Med. l. 1. p. 302.* obſervavit. Illa omnia, cum bilem copioſiorem ſupra accuſaverim, omnino in cauſa ſunt, quæ nutrimentum nimis bilioſum praebent. *Motus* uterque & *deficiens* & *fortior* nocumento eſt. Ille bilioſas ſangvini inexiſtentes fuligines cumulando, hic humidas & aqueas particulas in illo incoquendo. Unde uterque aptus natus, ſi non ad ſupprimendum catameniorum fluxum, ſaltem ad retardandum. Eadem ratio eſt *quietis ſomnique excesſivi.* Illa obſtructionibus velificatur; hic motum humorum remorando evacuationes naturales ſupprimit. Inter animi *pathemata* hic primas tenent *ira* & *triſtitia.* Illa fere icteri ægræ meæ faber fuit. Ira enim & excandeſcentia parva quaſi epilepſia eſt. Omnes enim totius corporis

mem-

membranas ſubito comprimit humoresque pigrius motos in illa ipſa ad motum inteſtinum diſponit: id quod in ſaliva non deglutita, ſed in ore retenta ſpumeſcenteque, quae tum temporis ſaporis à naturali plane alieni, experimur. Triſtitiam non raro ortum dare ictero *Helmontius lib. cit. & c.* §. *6.* comprobat. Suum quoque ἐπιβάλλον μέρος huic ſymptomati addidere *excreta* & *retenta.* Contumacior alvi obſtructio ut plurimum comitatur icterum, isque ſemper anteſignanum fere habet menſium ſuppresſionem. *Præternaturalium* familiæ adſcribi posſunt morbi chronici, v. g. affectus hyrochondriacus, cachexia, ſcorbutus & omnes morbi ex acido oriundi: item colica, quale quid de ſe fatetur *Rolfinc. disſertat. de tartaro,* hydrops & quartana, quanquam magis aſymbolice. His quoque annumeranda cenſeo ipſa, intempeſtive & incongrue adhibita, medicamenta emmenagoga; quæ motum humorum magis contrarium naturæ quam convenientem, non reſeratis prius viis, intulere: imo ipſos denique *inſeſſus* frequentes. Hi enim tantum abeſt, ut ad difflandam citrineſcentiam fecerint, ut potius, ex dicta jam ratione, lympham magis magisque difflaverint ſicque icterum & menſes ſuppresſos ſtabiliverint.

His præmisſis *Signa* fidem rei faciunt *I. eſſentialiter inhærentia* ſeu *Pathognominica,* v. g. Album oculi croceum, ambitus totius corporis & tempora utraque fuſco colore tincta. II. *eſſentialiter conſequentia* ſeu *ſymptomatica*, quæ ſunt *læſiones*, in *facultate animali* ſitis ingens & appetitus proſtratur: in *vitali* virium proſtratio, reſpiratio difficilis & pectus gravatum inſtar lapidis: *in animali* (α) ratione ſenſus externi eſt pruritus, dolor capitis, ſcapularum & hypochondriorum, (β) ratione ſomni, ſenſuum internorum & externorum affectionis, ſunt turbulenta ſomnia. (γ) ratione motus ſunt pavores ſomnum intercipientes, torpor & ſegnities corporis: *in qualitate mutata* ſapor amarus & color ungvium luridus: in *excretis* (α) ratione quantitatis eſt imminutus & per totum decumbendi tempus parcisſimus

mus catameniorum fluxus (β) ratione qualitatis eſt urina nigra, menſes nigri, faeces penitus albeſcentes: in *retentis* nares per totum curationis tempus ſiccae alvusque per plurimos ſaepe dies adſtricta. III. *cauſae praegreſſae* tum naturales, tum non naturales, tum quoque p.n.les iam paulo ante tactae & explicatae. Nec IV. ipſe *analogismus* abludit reſpectu (α) *aegrae*, quae tincta fuſco colore per omnem corporis habitum: (β) *aliorum*. Cum enim icterus in omnium oculos cadat & flavedo ac fuſcus color cum accidentibus aliis hic graphice delineatis ictericos in genere occupet, nec in omnibus disſimile quid reperire liceat, iure merito dicta mea ſalvo & firmo ſtabunt talo.

Hic locus eſt quaerendi, qualis ſit differentia inter icterum flavum & fuſcum? Ad hanc reſponſio non difficillimo modo ex praeſuppoſitis petenda eſt. Cum enim neceſſario praeſupponenda ſit in ictero obſtructio vaſorum coniunctim ſupra iam laudatorum, omnino hic radicata, confirmata, fortior diuturniorque eorundem merito ponenda venit, quatenus *fuſcus* flavum, ſi diutius plus ſolito durat, ſemper ſubſequitur, quatenus item ſecundum *Hippoc. lib. 6. §. 42.* hepar etiam plane nonnunquam induratur. Poſita hinc obſtructione hepatis, etiam lienis ponitur & poſitis porro hepate & ductibus ſuis omnibus tartaro acidiori abundantibus, etiam lien eodem abundare ponitur ex denegatae ſanguini, hic elaborato, nec decenter ſecreto, derivationis lege: unde non poteſt non aliter fieri, quin ille ſtagnatione diutina acidum maius peneque auſterum induat &, utrisq; poſtmodum ſero ac ſangvini commixtis, deniq; color non amplius flavus, ſed ſaturatior ſeu fuſcus, plumbeus ac ad nigrum magis declinans oculis omnium ſiſtatur. *Waldſchmidius* cauſam fuſci *in Colleg. Timaean. l. 3. c. 20. p. 571.* non in liene, ſed in pancreate ejusque ſucco ponit, qui mixtus aliis cum humoribus liquorem ♄licum auſterum & nigrum conſtituit. Cuius autem momenti ſit huius viri cauſa, id, cum ex ſuperioribus, ubi de bilis uſu, tum ex his, quae modo dixi, ac ex ſubſequente expe-

 rimen-

rimento eluceſcet. Si quis mechanicam producere velit, quomodo bilis cum acido fortiori in fuſcum colorem abire poſſit, is ſumat Gallas Turcicas & ▽am, in qua ſolutum fuerit ⊕lum, miſceatque invicem, nigricantem ex tempore obſervabit colorem. Acida enim, auſtera & acerba omnia 🜍eis & reſinoſis mixta nigredinem pariunt. Eadem autem quo minus tanta in corpore noſtro exiſtat, calor vitalis & lympha noſtra impedit, unde etiam videas in fuſco urinam nigerrimam cum ſedimento cinnabarino fere & lateritio, quatenus ab acido fortiori particulae coenoſae 🜍reae, magis fundum petunt ac praecipitantur. Vt ſcorbutum calidum taceam, quem non ſine fundamento in icterica mea ſuſpicabar eiusque ſalia lixiva acida mediante bile coenoſa tartarea ligata.

Expoſita ſic, ut reor, icteri fuſci geneſi, ordo jubet, ut quae ex equo hoc quaſi Troiano proſiliere, ſymptomata brevibus exponam. Siſtit ſe autem hic

Dolor inſignis ſcapularum quaſi fractarum) ob bilem acriorem ſero immixtam parteſque membranoſas & nerveas diſtendentem ac inaequaliter ferientem.

Obtuſus & gravativus cum dextri, tum ſiniſtri lateris) contradiſtinctus acuto. Non potuit non aliter fieri, quin dolor obtuſus & gravativus utriusque lateris aegram vexaret, quatenus humoribus viſcoſitate biliosa infarctis fluor per viſcera depuratoria & ſecretoria v. g. hepar, lienem & renes interceptus erat; ex qua ſtagnatione viſcerum deinde diſtenſio & ſenſus ille triſtior. Mihi etiam curam inchoaturo ſuſpicio de quadam hepatis ſcirrheſcentia exinde naſcebatur.

Cephalalgia perpetua) ob peregrinas bilioſas ſcorias, quae ſerum continuo gravant & membranas nerveas vellicant, ſicque ſolutionem continui inducunt.

Cum intenſiori calore & remisſiori) pro fermenteſcentium in M.Sea atq; affluentium ad eandem ſalium acrium bilioſorum modulo. Bilis enim in ſe maxime fermentifica.

Nares usque eo aridas) ob exhauſtam incoctamque lympham

pham

pham & ſerum ſanguinis acido & viſciditate non minima ſcatens.

Somnia ſomnum turbant) quatenus ob inaequalem ſpirituum ligationem, quos ſerum ⊖lino-bilioſum interturbat, varias ideas phantaſia concipit.

Cum pavoribus intercipientibus) quando acidum membranas nerveas tangit & lancinat.

Torpore atq; ſegnitie totius corporis) ob motum ſanguinis & lymphae a magmate illo bilioſo impeditum.

Amplius continua reſpirandi difficultate premi) cum ab alcalinis bilis moleculis ad cor magis promotis, tum etiam, quatenus foemina eſt, a ſanguine verſus centrum ſuum i. e. cor regurgitante, quod utrumque laedit motum diaphragmatis & pulmonum evibrationem.

Gravari pectus pondere quaſi quodam lapideo) ob auctum inibi ſanguinem & bilioſam amurcam, quae conjunctim praecordia diſtendunt & ſub gravantis lapidis ſpecie ſenſui communi offeruntur.

Menſium maxime tempore) non excreto eodem & exonerato tum temporis, cum natura intendit, ſanguine per arterias hypogaſtricas & ſpermaticas, ſed retento magis & regurgitante ſemper recenti ad alterum, qui prioribus menſium temporibus circa praecordia iam accumulatus fuit.

Qui nonniſi parcisſime, guttatim ac nigri profluunt) Tria hic ſunt advertenda 1. ſangvis ad motum inhabilis redditus à crasſioribus, viſcoſioribus & eacochymicis humoribus. 2. fixatus ab acidis, auſteris & ſtypticis ſeu quoad totum ſeu quoad partes v. g. poros & vaſa vaginae uteri. 3. vitium reſpectivum p.nle v. g. icterus, qui tinctura ſua bilioſa & viſcoſa purpurei nectaris particulas ſalinas volatiles & ſulphureas depresſas tenet. Accedit alveorum ab infarctu humorum condenſatio & quod icterica mea fuit hypochondriaca & ſcorbutica, unde auſtera, quæ accumulatione ſui in ſtypticitatem fere abiere, nigros & guttatim fluentes menſes invitarunt.

Amarum oris & linguae ſaporem, ſiccitatem faucium ſitimque

ingentem) ob infectum bilioſis atomis ſalivalem humorem, quae dum ad fornicem oris adſcendunt, exuccum hoc reddunt ſitimque cient.

Appetitus ad omnia proſtratus) ob deturpatum ventriculi a peregrinis quisquiliis fermentum praecedente chyli diſtributionis vitio.

Alvum per plures dies adſtrictam) ob ſublatum bilis ſtimulum.

Nonniſi albas faeces deiicientem] nulla delata & excreta ad inteſtinorum arnndinem tinctura bilioſa.

Album oculi intenſe flavum) ob nitorem albisſimum & minutisſima vaſa ſangvinea, quibus oculus copioſe contextus eſt, unde croceum colorem evidentius praeſentat. Oculus etiam vel ob dicta eſt primus & ultimus morbi index.

Vngves luridi) ob flaveſcentem ſanguinis craſin, quae per ungves obſcurius transparet.

Cute fuſca)quatenꝰ inficitur ⊖libus lixivis acidis mediante bile coenoſa tartarea in ſero & ſangvine abundantibus. Unde ſerum quando cutis ambitum alluit, eundem quoque particulis illis, quibus ſcatet & tincta eſt, ſaturate inficit.

Vrina nigerrima) ab acidis auſteris ⊖libus, quando cum 🜍eis crasſis uniuntur. Qua amurca bilioſa etiam capſulae atrabilariae ſeu renes perſvaſu Excell. *Wedelii pathol. dogmatic. ſ. 3. c. 13. p. l. 81.* praecipue in fuſco ictero magis abundant.

Sedimentum cinnabarinum)quatenus particulae laudatae ob gravitatem ſui fundum petunt & ſe ipſae praecipitant.

Vari circa genas) ob impurum bilis ſal in faciei glandulis ſtagnans ibidemque inflammationem meditans.

Pruritus brachiorum & tubercula apum ſimillima)quatenus immixta ſero bilioſa acrimonia externas partes & porulos cutis vexat.

Abſolutis, quae ad cognitionem affectus praefari oportuit, pedem ad *prognoſin ſalutis* & *mortis* promoveo. Ab

adſpe-

adſpectu quidem, ut fatear, de ægrae ſalute mirum quantum deſperabam: cum verò menſes non in totum plane obſtructos ac ſupreſſos obſervarem, nec dum hyprochordia enormius dura, nec obſtructio hepatis perfecte ſcirrhoſa ſimul adeſſet: cum affectum aetati adhuc convenientem: cum ictericam dulci ſpe recuperandae ſanitatis, ut hiſtoria habet, illectam viderem fuſcumque menſium fluxu caeteris paribus terminari poſſe confiderem, eum, quicquid etiam de contumacia huius atque incurabilitate autores fere ſcribant, non abhorrui, ſed curam potius illius cum ingrediendi animus ſuccrevit mihi, tum ſanitati priſtinae reſtituendi ægram. Suſceptam curam DEVS etiam usque eo ſecundavit ut intra VIII. hebdomadarum ſpatium eluctaretur fuſcum icterica. Praeter reſtitutum menſium fluxum alias etiam icterus haemorrhoidibus iterum apertis evaneſcit. Senes vero ut plurimum ad maraſmum ducit. Et ille, qui cum calculis in veſicula fellea, ſi non incurabilis plane, curatu certe difficillimus.

Modum eventus reſeratio tubulorum & canalium coniunctim ſpectatorum atque exacta bilioſae fuſcedinis diſcusſio probant.

Quid tandem iam *conſilii* & quæ ſuppetiæ ferendæ chronico illi ictero?

℞. eae, quibus ſecundum illud *cito, tuto* & *iucunde* ſanitati priſtinae reſtituantur ſive flavo ſive fuſco ictero laborantes. Longe autem alia curandi methodus eſt *icteri quaſi talis & revera talis.* Hic, non ille inſtituti mei penſum eſt. Itidem tamen *revera talis icteri* curandi ratio alia porro eſt *in initio*, alia *in augmento.* Per illam *flavi*, per hanc vero *fuſci* therapiam intellectam volo. Repetendum autem hic ex iis eſt, quæ de analyſi *fuſci* ſuperius dixi, v. g. primo chronicum hunc conſequi flavum, i. e. quod flavum fuſcus excipiat: deinde eſſe prae flavo in fuſco fortiorem confirmatamque obſtructionem. Quibus ſic poſitis non poteſt non fieri, quin ſubſumatur, debita etiam

huic indicata impendenda eſſe poſtmodum longiori temporis continuatione. Neque id cuiquam unquam abſurdum quoque videri poſſe vel ob id exiſtimo, quod, uti notum unicuique eſt ex pathologicis, morbi ſua tempora habent & per conſequens etiam illud qualitatis mutatae ſymptoma, qui eſt icterus utroque nomine dictus. Cumque igitur & *fuſcus* nec in Clinica mea ſaltum quendam fecerit, ſed a flavo degeneraverit, i. e. *initium* icteri praeceſſerit & *augumentum* conſecutum ſit, inferre porro fas erit, eum nondum perveniſſe ad *ſtatum* ſeu vigorem. Qui ſi in illo culmine iam poſitus fuiſſet, omnino etiam latiori ſignificalione *niger* plane dicendus fuiſſet, qui utrumq; ſub ſe comprehendere ſuperius dictum eſt, de cuius curandi difficultate nemo fere autorum dubitat. Huiusque aliquis de caetero eluctandi modus ſi reliqvus adhuc eſſet, alia denuo praeter caeteras quoque ineunda eſſet ad hanc metam via. Quandoquidem autem ab illius ſtatu, qui ei alias ſucceſſu brevioris temporis omnino adeundus fuiſſet, fuſca mea icterica adminiculis artis, iam DEO annuente, declinavit, eius non minus pro laudato ſciagraphiae modulo in duas claſſes nunc diſpeſcam therapiam.

Prima *indicationes* ictero in *augmento* convenientes; altera vero in *declinatione* fuſci attendendas delineabit. Prout autem indicationes indicantia praeſupponunt: ita haec illis manum porrigunt, ut legitimae medendi methodo ſuffultis indicatis ex ſententia Medici illae eaedem obtineantur. Qua vero de cauſa felix mihi, DEO intentionem meam clementer ſecundante, ſucceſſus obtigerit, ingenue ediſſeram? Formavi, inquam, intentus indicantibus, quae obſtructiones viarum cum in hepate & veſicula bilis coniunctim ſpectatarum, tum in liene ac utero, itemque motus bilis qua impeditus, qua depravatus fuerunt, ſequentes indicationes:

I. Obſtructiones viſcerum ac vaſorum confirmatae tollantur,

II. Motus bilis in ordinem redigatur,

III. Elater viſcerum vaſorumque cum ſangvine roboretur.

Primae indicationi non evacuationes catharticae, qui-

bus

bus in iſtero recenti, dum viſcerum tonus & vires conſtant, recte quidem *Willis l. c. p. 144.* ingredi curam ſvadet atque ego infantibus ictericis ſolum Sirup. de cichor. cum rhabarb. huiusque illi pulverem admixtum me exhibuiſſe optimo cum ſucceſſu etiam memini, ſed potius *aperientia*, ſub quibus 1. militant *martialia*, quae idem quoq; *p. 148.* conciſa brevitate extollit, omnino ſatisfaciunt. Tantum enim abeſt, ut purgantia, cum radices iam egerit, in flavo proficiant, ut potius magis bilem commoveant turbentque. Quî enim & quare inteſtina expurganda ſint, cum naturali illo ſtimulo bile careant, non novi? Quod ſi tamen, quibus in curando ictero non carere quimus, eadem adhibere animus ſit, poſt *aperientia* & *praecipitantia* illis ſtandum eſt locusque ſub declinatione demum concedendus. Hocce igitur reſpectu iuſſi, quod ingenue fateor, ab ipſo etiam curationis initio ſtratagemate non exiguo primum *laxantia*, deinde ipſa *purgantia* martialibus aperientibus, hepaticis ſpleneticis atque uterinis ſecundaria, non primaria intentione immiſceri, quorum ſalutarem ſucceſſum in nodulis cum vino mecum quoque experta eſt *icterica*. Sed haec obiter & ad indicata generalia, quae primae indicationi ſatisfaciunt mihique pertractanda ſumſi, redeo: eaque porro ſunt *2. incidentia, 3. abſorbentia, & praecipitantia, 4. reſolventia, 5. diuretica* & *6. uterina emmenagoga.*

Nemo profecto inficiabitur aperientia ſummi in fuſco uſus eſſe utpote quae viarum v. g. *vaſorum, ductuum, meatuum, pororum* aeque ac fluxilium v. g. *ſanguinis, lymphae & bilis* lentorem, viſciditatem, fixitatem, tartarū, amurcam aliasq; omnes in genere remoras particulis ſuis activis ſalino-ſulphureis mercurialib9, ut & aqueis ac alcalinis terreis expediant.

Operae pretium me facturum eſſe reor, ſi expoſiturus ſum ſpeciatim ſingula. Igitur initium mihi erunt 1] *martialia*, quæ (α) ob ſal metallicum explicitum humores fixos, acidos & auſteros edulcando, infrigendo, abſorbendo atq; ſaturando; (β) ob igneas, ochreas, fixas particulas villos,

los, fibras, vaſa & nervos roborando agunt. Non tamen mihi in mente eſt encomia martis martialiumque hic in unam farraginem coacervare, cum naturam horum ante me magna nomina fere exhauſerint, niſi quod hoc unicum ſaltem addere illa eadem praeſumerim, martem v. g. eſſe fixum & pollere ſulphure ſeu ochra eius generis vitriolica, verbo, charactere aſtro ☉ri; quas flammulas auri Exceli. *Wedelius*, quod ex ore eius habeo, plus vice ſimplici ad oculum ſtitit aurifabris has ipſas etiam pro auro revera agnoſcentibus, Ex eo ipſo fundamento *martialia ⊕lata 🜿ea* & *♁niata aperientium* apicem idem vir ſupra laudem longe poſitus *Amœnit. M. M. l. 1. ſ. 2. c. 3. p. 71.* dicere anniſus eſt. Atque ſi famen cupiditatemque ſui multis ciet philoſophorum lapis, mars certe profecto potiori veriorique diteſcendi ſpecimine, modo quis eodem uti, eundemque praeparare & combinare cum aliis ea, qua par eſt, & doſi & homogeneitate recte noverit, Medicum practicum ſumme felicem reddit. Varia autem forma & veſtitu, eoque vel *ſpisſiori*, vel *ſicco* & *liquido* mars ſuperbit. Huius veſtitus ſpecies ſunt Tincturæ & liquores v. g. *Trae Martis* variae a praelaudato viro compoſitae v. g. *cydoniata, pomata, duplicata, 🜿ſata,* cui haud abſimilis eſt Eſſ. ♂ vitriolat. Ludovici, *cum Vino Malvatico, helleborata, crocea* ex florib. ♂tis nigri & Ωvini ☉*ris* ex minera ♂tis ☉ris Haſſiacae & ▽ roris maial. Hujus item *liquor ♂tis vitriolatus* inſigne evporiſton inſerviens pluribus ſcopis multarumque ♂*tis* variationum medicamentum. Ex hoc enim conſurgit *Tr. ♂tis abſinthiaca* Eſſ. abſinth. quando ille admiſcetur, ♂*tis balſamica,* ſi Eſſ. L. aloës; *temperata,* ſi Mixturae ex Arcan. 🜿ri & ▽ ſummit. pini; *ſtomachalis aromatica,* ſi Elix. P. P. vel ſtomachali; *antiſcorbutica nigra,* ſi Eſſ. ♂tis vitriolatae antiſicorbutic. decenti doſi idem liquor inſtillatur: item Ω *vitrioli martis cum Ωu aperitivo Penoti,* & plura alia cum egregii nominis, tum ſummi uſus medicamenta. Laudata vero in fuſco meo apprime proficua, ut his nobilioribus vino medicamentis inanem demum laudis hederam

ſu-

ſuſpendere non neceſſe habeam. Illius i. e. ſiccorum claſſem conſtituunt *Croc. ♂tis ♀ratus, ⊕latus, ſaccharinus, aperitivus* ſeu per fuſionem praeparatus, qui fere cum ♀rato coincidit, *emmenagogus cum ⊖libus, ☿ ♂le cachectic. flor. ⊖ ♓ci martial. Bezoard. martiale, commune*, ♀ *cachect. Quercet. cachecticus ☿rinus Wedelii* eiusque *cachect. ☿niatus, ♀eus, emmenagogus &c.* Spiſſorum numerum complent *Elect. chalybeatum, Rob martiale &c.*

Veniant porro ſub examen 2. *incidentia*, quae quoad partes ſuas tenues activas, quibus gaudent, bilis viſcoſitatis nexum intime invadendo ſolvunt; quoad ⊖linas alcalinas mucum eius optime detergunt; quoad terreas vero mucilaginoſitate omni plane diſciſſa motum eidem parant, unde ſtimulo ſuo bilis naturali excretioni humorum inteſtinalium non velificatura excitatur & fluxilitatis modum ſervare diſcit. Ob haec ipſa audiunt *anticterica ſpecifica* & ſunt (α) *amara* vel *quaſi* talia, quae bilis viſcedinem mucilaginoſam abſtergunt & excurſionem denique eius ad inteſtina promovent, qualia ſunt v. g. rad. *rhabarb. curcum.* quae amaricante & acri ſua virtute tantam detergendi vim poſſidet, ut mercurium aliaque metalla tingat, *filic. cichor. rub. tinct. 5. aperient. fumar. acor. veri, helen. chelid. mai. graminis*, quam *Helmontius tit.* ſcabies & ulcera Scholarum *p. m.* 306. §. 11. & *tit.* ignotus hoſpes *p. m.* 486. §. 12. ex eo reiicit, quod in hepate boum eadem veſcentium lapillos reperiit, in ovium vero cute ſcabiem quilibet animadvertat. Sed non video, unde illa inſons graminis radix de tanto viro ita aſperum iudicium meruerit, cum e contrario apud alios ſe proficuam ſatis gesſerit; Herbae v. g. *abſinth. ſ. & ponticum, agerat. calamenth. fumar. marrub. cent. min. cuſcut. hepatic. nobil. ceterach.* &c. Summitates *abſinth. cent. min. fumar. cichor.* Flos *bellid.* Semen *cannab.* quod *Gladbachius l. c. p. m.* 375. §. 263. commendat; Gummata v. g. *aloë, ammoniacum* : & ex his praeparata varia v. g. ∇ *hepatic. nobil. fumar. polychreſta Rolfincii*, quae diluunt egregie & reliquorum vehiculum ſunt. *Elix. P. P. ſimpl.* & *antiſcorbutic. marti-*

tiale Wedelii Eſſ. abſinth. ſ. & *compoſita* eiusdem, *Anima rhabarb.* ſpecies *diaturbith c. rhabarb. diacurcum. Trochiſci de eupatorio,* Sirup. *diaſer. Andernac.* de *cichor. cum rhabarb.* quo cum nondum bimulum ictericum lactantis ictericae hic loci in ſuburbio breviſſime reſtitui, *marrub. Byzantinus* &c. Extracta *acori veri, fumariae, rhabarb. &c.* MPil. *🝀earum Schroederi, Quercetani* &c. (ε) *aromatica lenia* v. g. Radices *ari, trifol. fibrin.* Herbae *capillor. ♀ris, cuſcut. fragar. epithym.* Flores *eiusdem, acac.* Cortices *tamariſc. cappar.* Ligna *ſandal. flav. ſaſſafr.* Aromata *coſt. Arabic. ſchoenanth. croc.* qui bilem viſcidam egregie expedit. Ex compoſitis vero ſpecies *diarrhod. Abbatis, diatrion ſandal.* Sirup. *de adianth. ♀ ſtomachal. Quercetani, Rob. ebuli.* Huc etiam pertinent omnia hepatica & ſplenetica ob naturae & virtutis fere homogeneitatem. Ea etiam (γ) ſunt *⊖lina* & *🝀ea abſterſiva* atque *ſaponaria* v. g. *🝀 ⊕latus, Arcan. duplicat. Mynſ. Arcan. 🝀ri & martiale, Tr. 🝀ri, ♁nii 🝀ſata* it. *Tr. Mart. c. Arcan. 🝀ri* praepar. *Tr. ſilic Glauberi &c.* δ) alcalia fixa, v. g. *⊖l abſint. cent. minor. chelidon. geniſt. ononid. &c.*

Ingreſſo ordine iam etiam ducor 3. ad *abſorbentia* & *praecipitantia,* quae fixos, acidos, auſteros, & ponticos humores in ſuccis noſtris partibus ſuis ⊖linis, alcalinis, inviſcatis acidis & terreis, invertunt & ſaturant, ut iidem evolvantur libereque in corpore humano commeare poſſint. Horum genus duplex conſtituitur: alia enim ſunt (α) *terrea alcalina* v. g. *Bezoard. ♃le* & ea, quae ſub Reſolventibus mihi laudanda venient: alia [β] *⊖lia acida,* ut *Hepat. rubr. Dreſdenſ.* quod egregie etiam roborat, *Crem.* & *Cryſtall. 🝀ri, ⊕lum ♂tis,* Ω *⊖lis* & *⊕li coagulatus* &c.

Super haec me ad ſe devocant 4. *reſolventia,* quae coagulum ⊖lino-🝀eum & ſcirrhum minans diſiiciunt, ſicque bilis amurcam parte ſua terrea alcalina abſtergunt. Huius generis ſunt *Lapid. 69. Corall. praepar. Conchae praepar. ♁ diaphoretic. ♁ nativ. & ♁nii,* quae utraque particulis ſuis mercurialibus inſigniter reſolvit. item *Ebur. ſ. △ praepar,* & quae alia.

De

De caetero admiſſionem ſui expoſtulant 5. *diuretica.* Vix dici poteſt, quantum haec in utroque ictero proficiant, ubi amurca bilioſa acida tartarea abſtergi, incidi & praecipitari geſtit ⊖linis, acidis terreisque horum particulis. Haec duplici forma, quibus in fuſco opus habeo, v. g. liquida & ſicca gaudent. Illa magis abſtergunt bilem oleoſiorem 🜿roque foetam: haec magis ſtimulant, reſolvunt ac ſabulum expellunt. Illa porro ſunt vel (α) *alcalia,* ut *Tr. 🜿ri ſ. duplicata & oleoſa Wedelii, Arcan. 🜿ri,* quod mixtum c. *Tr. ♂t.* ſ. *cydoniata* ſ. *pomata* egregium apprime medicamentum eſt in quam plurimis affectibus. Quando enim haec infringendo acidum 🜿eumque coagulum vias aperit, illud ad expulſionem ac ſecretionem idem ſtimulat: atque intime, quia homogenea ſunt, etiam miſcentur. Facit huc *Tr.* ♁ *ſ.* & *tartariſata, ſilic. Glauberi &c.* Quae omnia, cum fluida ſint, quod inſuper notari meretur, in vaſis citius decurrunt & ſeſe coagulo iſti quantocyus immiſcent, hinc a ſcoriis bilioſis ſerum facilius etiam liberant: Vel ſunt (β) *acida.* Exoſum fere omnibus hodie acidum videtur, ſed vana pene quam plurimorum perſvaſione. Poſtquam enim unus vel alter adverſatus eſt acidum, omnes pene eidem inſultarunt & ex praxi proſcribere voluerunt, cum tamen natura noſtra id cum in alimentis, tum etiam medicamentis avide appetat. Propterea tamen dicam mihi non ſtatim ſcribant velim, ſed mentem prius percipiant, qui acidum abiurarunt. Nunquam ego modica quantitate adhibitum acidum odi atque etiam tantum abeſt, ut noxam eius alicubi expertus ſim, ut potius virtutem incidendi, attenuandi & reſolvendi cum ſucceſſu ſenſerim: ne dicam quod bilem obtundant. Non erubeſco igitur in ſcenam iterum producturus acida veterum panaceam, qui ſunt *Ωus aperitiv. Penoti,* ⊕*li,* ⦶*ri,* ⊖*lis,* 🜿*ri* ipſaque *Tinct. aperitiva Moebii,* quae Ωui ⊖lis maximam virtutem debet, *Clyſſ.* ♁*nii* 🜍*ratus, Tartareus,* Ω*us* ⦶ & ⊖*lis dulc.* Haec ſcil. ſicca ſunt ⊖lina terrea, v. g. *Arcan. duplicat. Tartarus* ⊕*latus,* qui ſi-

mul etiam in ictero egregie aperit, *Lapid. 69. praepar.* &c.

Tandem ſui recenſionem etiam urgent 6. *uterina emmenagoga.* Cum elogio *Helmontii tract.* quem inſcripſit Aſthma & tuſsis *p. 345.* §. *17.* fœmina omnem morbum bis patiatur, ſemel ex utero, iterumque quatenus homo, hinc etiam ſi quis harum curationem ex fundamento deſideret, non poterit in illarum affectibus communibus ſe ab uternis emmenagogis commode abſtrahere. Id mecum reputans laudatorum uterinorum curam ſedulo geſſi. Moderantur a. ea lymphae & ſangvinis motum horumque viſcedinem, acrimoniam, ϛασιν ac putrilaginem temperant fibrasque nerveas roborant, quatenus ſunt vel ſulphureae vel ſalinae proſapiae. Illius proſapiae ſoboles ſunt Radices v. g. *angelic. galang. rubiae. tinct. zedoar. &c.* Herbae omnes aromaticae & amaricantes v. g. *artemiſ. rubr. diptamn. cretic. marrub. alb. matricar. menth. meliſſ. ſilveſtr. & hortens. citrat. nepeth. roſmarin. calamenth. cerefol, &c.* Folia *ſabinæ,* Baccae *lauri,* Semen *cicerae rubr.* Aromata v. g. *caryophyll. anthophyll. coſt. arabic. mac. croc.* item *Aloës, Myrrh. Camphora, Succin. oleum zedoar. cinnamon. ſuccin. ſabin. ſ. & crocat. Mynſ. Troch. de myrrha, Flor.* 🜍*ris, Elix.* ♀*in Crollii, Eſſ. myrrh. ſuccin. Elix. P. P.* Huius i. e. ſalinae vero (α) fixa, v. g. ⊖*l artemiſ. ſpec. diaborac. Mynſicht. Borax ipſa Veneta* &c. (ϐ) media v. g: *Tinct.* 🜿*ri, Arcan.* 🜿*ri* &c. (γ) volatilia v. g. ⊖ 🜿*ri volatile, C. C. ſuccin.* Ω ⊖ ♓*ci ſimpl. & compoſ. oleoſus,* ſeu ipſum ⊖*l. volatile oleoſum Sylvii* maritanda & combinanda omnia ante inſtantem menſiũ fluxum cum ſpecificis antictericis ſupra laudatis; hac tamen lege, ut aperientia ſpecialia dicta baſin medicamenti conſtituant, haec ſaltem modificent. Tantum de iis, quae obſtructioni continuatae interius velificantur. Plura horum, qui deſiderat, adeat *Macaſii promptuar. materiae medicae, Gieſsweinium, Schönbornium, Rolfincii O. & M. Commentat.* & auro digniores *Amoenitat. Mater. med.* & *Facultates medicamentorum Wedelii.*

Sequuntur, quae exterius applicata, *reſerationi* viſcerum

ac

ac viarum inſerviunt. *Topica* haec dolor lateris ex parte ſiniſtri, ex parte dextri obtuſus & gravativus indicat, ex quo de ſcirrhoſa vel quaſi tali hepatis lienisque ſtructura in fuſca mea augurabar. Huic vero elidendae operam navabam 1. *Linimentis oleoſis* & *Ωuoſis* concinnatis (α) ex emollientibus v. g. *oleo lil. alb. amygd. dulc. chamomill. hyoſcyam. ſcorpion. ſimpl.* & *compoſ.* &c. [β] ex paregoricis, v. g. *oleo lumbric. aneth.* &c. [γ] ex hepaticis ac ſpleneticis, quæ ſymbolica fere ſunt, v. g. *oleo cappar. laterin. 🜿 foetid.* (δ) & denique ex carminativis, v. g. *oleo abſinth. aniſ. carv. carminativ. Mynſ.* aliisque aromaticis v. g. *oleo caryophyll. N. M.* &c. ſuperimpoſitis 2. vel (α) *Sacculis* paregoricis confectis ex emollientibus, paregoricis aliisque, non omisſis ſpecificis aliis hepaticis & ſpleneticis; vel (β) *Emplaſtris.* Quem in finem faciunt itidem emollientia v. g. *G. ammoniac. Galban. Empl. diachyl. ſimpl.* & *c. g. de melilot. de ♓co Foreſt.* &c. & paregorica v. g. *Empl. de bacc. lauri, diapalm. de hyoſcyam. de ranis Vigon. c. ☿io* item hepatica v. g. *Cerot. ſandalin. de ♓co Foreſt. Empl. de cicut. de tabaco* aliaque ſpecifica ſplenetica compoſita. Par uſus & effectus eſt, ſi cui Linimentorum loco Vngventa huius ipſius generis magis arriſerint, quorum fine laudanda ſunt v. g. *Vngv. dialth. populn. anod. de artanita* ſeu *cyclamine* &c. item Cataplaſmata ex *medulla panis ſimilaginei* cum *vitello ovi, croco* & *lacte.* Circa uſum autem horum velim notetur Linimenta aut Vngventa bis de die i. e. mane & veſperi hypochondriis calide illinenda eſſe, deſuper impoſito ſive ſacculo ſive emplaſtro itidem ſuper prunas candentes probe calefactis. Calor enim nervis amicus & topicorum virtus ſeſe eodem modo poris intimius immittit.

Huic reſerationi viſcerum, ut & dolori hypochondriorum non inconveniens etiam eſt 3. V. *Sio,* cum ut ventiletur ſangvis, tum ut invitetur idem ad fluorem debitum, in aetate tamen media conſtitutis foeminis certo tempore inſtituta. Maximum autem adhucdum ſub Medicis de illa celebranda in ictero deliteſcit disſidium. Itali, inter

 quos

quos praeprimis *Fontanus*, hanc audacter ſecant: Germani vero non item, obſervantes contra ea magis illud *Galeni* ictero laboranti, ſi ſangvinem miſeris extremam in perniciem ages *lib. de purg. facultat. c. 2.* Alius autem, ſi ex ſuperioribus repetere placet, eſt icterus ſibi relictus, alius viciſſim cum febre & ſuppreſſione menſium &c. coniunctus. In *illo* plane non vel meo quidem iudicio, rariſſime ſaltem, ſi ſcil. magnum aliquod ſangvinis abundantis vitium adfuerit, admittendam eſſe putarem. In *hoc* vero i. e. coniuncto c. febre aut ſuppreſſ. menſ. licentius, non niſi tamen etiam praemiſſis aperientibus aliisque ſpecificis & poſt aliquot ſeptimanarum intervallum i. e. ſub finem fere iam curati icteri, purgante quodam ſolenni: neque etiam largiori admodum quantitate. In icterica mea cum a Medicis in hiſtoria recenſitis, tum a chirurgis ὕϛερον πρότερον mirum quantum commiſſum fuit, ſecantibus iis plus vice ſimplici, venam narium & hypoglottidem, ſed eventu ſemper ſiniſtro. Ego vero eam ante ipſos inſtantes menſes in pede bono cum ſucceſſu ſecari iuſſi.

Sangvinis proinde acrimonia & ſtaſi lymphae *uterinis emmenagogis* quoad uterum ſatis temperata; *bile* oleoſiore tartareisque particulis fœta *diureticis* expulſa; coagulo ſalino-tartareo & ſcirrhum minante *reſolventibus* disiecto; fixitate, aciditate, auſteritate & acredine *abſorbentibus* ac *praecipitantibus*, edulcata atque ſaturata; viſcoſitatis nexu *incidentibus* ſoluto omnique mucilaginoſitate *anticterícis* diſciſſa; viis, vaſis ac ductibus omnis generis *martialibus aperientibus* feliciſſime reſeratis, facilis iam per vaſa ſua fluidis rurſus etiam concedetur tranſitus & motus poſt adhibita adhuc, quae alteram indicationem, i. e. motum bilis in ordinem redigendum ex aſſe procurabunt, *1. diluentia, 2. lenientia, 3. purgantia* & ipſa etiam *4. mercurialia.*

Vt ſingula ordine percurram, 1. de *diluentibus*, optimo aperientium vehiculo me expediam. Haec aquoſitate ſua omnia pervadunt, ſerum reſtituunt, lympham expediunt,

diunt, calorem praeternaturalem temperant & ſunt v. g. *Serum lactis caprin* cum pauxilio *aniſi* decoctum, *Clysſi ♁nii 🜍ratus* & *tartareus, Tr. roſar, violar. bellid. papav. rhaead.* &c. & omnia aquea v. g. ▽ *cichorii, fragor, hepatic. nobil. hepatic. Dorncrell.* &c. itemque Infuſa & Decocta ex rad. herb. &c. & denique *Acidulae* ipſae, quorum ſingula vias & vaſa intime perfluunt.

Iam 2. ad *lenientia* purgantium prodromos devenio. Dixi paulo ante laxantia aperientibus & alterantibus iuncta inſignisſimi eſſe uſus, idem & nunc repetens, fateor infuſa ex laudatis concinnata praeſentius bilioſam amurcam ad motum ſuum provocare ad exitumque per ἐπίκρασιν diſponere. Faciunt huc *folia ſenae Alexandrin. Manna Calabrin. Caſſ. Pulpa tamarind. Fibr. hellebori nigri, Rhabarb. rad. mechoacann.* &c. *Spec. diaſen. Montagnan. Extr. rhabarb. aloës laxativum Wedelii,* quod polychreſtum quaſi remedium, eiusque *ſangvis rhabarbar. Crem.* & *Cryſtall. tartari, Tartarus reſolutus,* qui cum ⊖le Tartari confit, item ⊕*latus,* qui ⊖l balſamicum aliis etiam audit, ☿ *laxativ. vegetabil. Arcan. duplicat,* quod *Excell. Wedel. Amoenit. M. M. l. 2. ſ. 2. c. 2. p. 224.* eximie reſerare dicit, *Clyſſus Antimonii 🜍ratus,* qui & huic & pluribus aliis indicationibus optime reſpondet.

Motum bilis 3. ipſa *purgantia* in ordinem revera ducunt. Notandum tamen non *fortiora* haec, ſed *media* eligenda eſſe. Enim vero uti praeter ea, quae ſupra monui, fortiora nimis exiccant; ita quod una manu prioribus ſtruxiſſes, altera nunc vicisſim, ſi iſta arriderent, ſimul & ſemel deſtructum ires. Vnde commodius eſſe duco, ſi, utinam! quilibet autore demum laudato *Wedelio* cordi haberet, quae *l. c. p. 71.* multo ſtudio conſignavit aliorumque v. g. *Martiani* experientia illuſtravit: *aperientibus,* nimirum iuncta purgantia iisdem vires largiri maiores & *eadem p.* paulo ſuperius, ſi iisdem non reſpondet prima vice effectus, iteranda eſſe. Si quis haec intenderit, ei manus auxiliatrices praeſtabunt v. g. *Rad. gialap. ipecacuanh. Agaric. trochiſcat. Extr. hellebor. nigri, panchymagog. Crollii, catholic. Andernaci*

naci, Pilul. aloëticae, quae fermentum & motum ceſſantem reſtituunt ſtimulumque, qui prioribus medicamentis naturaliter quaſi deeſt, revera excitant ac compenſant; it. *MPil. tartarear.* cuiuslibet autoris & compoſitionis, *antihypochondriac. Sylvii, de ſuccino Cratonis* & huius generis plura.

Horum agmen claudunt 4. *mercurialia.* Nullum magis potentius viſciditatem reſolvendi inque motum ſuccum biliosum reſtituendi remedium eſt, quam ☿ *dulc.* vel in Extr. vel Bolo & Pilulis exhibitus. Videas enim quam ſaepisſime chronicos & rebelles morbos non auſcultare velle benignioribus medicamentis, ſed vecte quodam nonnunquam opus habere: id quod comode impetraveris, ſi eundem ad *gr. iii.* vel *iv.* purgantibus laudatis admiſcueris.

Praeter dicta interna non ſine ratione externa etiam per aliquot dies admiſi. Nemo autem ſibi, dum horum mentionem facio, vel *tincam vivam*, quae nonnullis icteri magnes audit, hypochondriis atque ipſis plantis pedum, donec moriatur, applicatam concipiat; vel *linteum urina ictericorum madefactum;* vel *cineres lignorũ fraxinos* cum *urina* ictericorum impaſtatos horumq; ſingula ſive in aëre liberiori ſive ad fornacem aut focum exſiccata; vel *urinam* ipſam etiam *ictericorum in veſica bubula* ad exiccationem usque in camino ſuſpenſam; vel *mictionem ſuper calens* adhuc *ſtercus equinum;* vel *intuitum picis liquidae* ipſiusque *auri;* & quae huius generis plurima extant in Practicorum libris, nemo, inquam, ſibi illa ipſa concipiat: non quod non illorum magneticas virtutes ipſis etiam magnorum nominum autoribus ſatis probatas viſas parvi habeam, ſed quod in fuſca mea, ubi fere quadriennio adultum malum ita alte viſceribus inſeſſum fuit, illa ipſa ex nimia illorum religione admittere velle ſi non omnino abſurdum, certe ridiculum fuiſſet. Verum, quibus innitebar in *icterica* mea externis, mihi fuerunt *Suffimigia* non tam quoad icterum, quam uterum unice inſtituta, quatenus poros numeroſiorumq; ramorum oſcula ex vaſis veniſque hypogaſtricis, ſpermaticis ac haemorrhoidalibus oriunda ſvavi ſua ἀναθυμιάσει reſerant inti-

me-

meque penetrant. Cuius reſpectu inſigniter prodeſt *Sem. colocynth.* ⊖ ♓ *cum* & *tartar.* carbonibus iniectum & mediante tritorio utero immiſſum.

Caeterum expertas illas teſte *Willis l. c. p. 147.* novem pediculorum vivorum per ſex dies mane ſumtorum epulas vulgo in Anglia non invideo: tantum enim abeſſet, ut huius generis ientaculo delicatior gens mea Polona vel primis, quod dicunt, labris deguſtaret, ut potius eadem ipſi perſvaſori delibanda apponeret.

Cumque tandem in ictero fuſco non ſolum obſtructiones ſublatae, nec viarum viſcerumque obſtructorum ſola apertio, nec ſolus etiam in ordinem redactus motus bilis omne curationis pro voto abſolvant momentum; ſed dictis alia, ſi abſolutum in modum confecti negotii firmamentum egiſſe te videri velis, adhuc adſtruenda ſint; non exiguum pondus addidiſſe te iisdem credas, ſi roborantia adiunxeris. Vaſorum enim nerveae fibrae, ut & viſcerum tonus laxatus ut rite dehinc ſecernere haec, illa devehere fluida ſua denuo addiſcant, ſolandus ex parte eſt & ex parte roborandus quoad tertiam indicationem *1. martialibus 2. antiſcorbuticis 3. carminativis* & *4. tonicis.*

Martialibus vero, plychreſto plurimarum indicationum remedio, cum iam ſuperius roborare eadem ob terreas, ochreas, fixasque particulas dictum ſit, ſuperſedere ſtatuo.

Dein *antiſcorbuticis* acraſiam viſcerum ⊖le volatili oleoſo & acri alterantibus, ⊖lia ſilveſtria acida vel alcalia tartarea e M. S. averruncantibus eamque defaecantibus, ſua quoque laus eſt, quae ſunt radices v. g. *acori veri, ari,* quae egregium quoque incidens & reſolvens, *trifol. fibrini,* quae ſecundum *Simon. Pauli Quadripartit. Botanic.* inſignis uſus, quat. ei ineſt ⊖l amaricans, roborans & mucilagini adverſum, *pimpinell.* & quae plures aliae: item herbae, v. g. *acetoſ. becabung. chelidon. min. cochlear. fumar. naſturt.* ▽*tic. hortenſ. & Indic. ſcord.* &c. omnes ⊖le acri aromatico pollentes: Summitates *pini,* Flores *borrag. bugloſſ. Eſſ. pini, M. S. Mixt.*

 anti-

antiſcorbutica, quae polychreſti quoque uſus eſt, *Elix. antiſcorb. Rolfincii*, ▽ *antiſcorb. Londinenſ.* quae ſub titulo ▽ae raphani compoſitae extat, it. *Dorncrell.* atque omnia fere etiam ex lignis & ☿nio parata medicamenta.

De caetero vix etiam carere poſſumus *carminativis.* Flatus enim aeque ac calculi exiſtunt ſaepe icteri cauſa vel ad minimum multis ſeſe inimiſcent morbis. Ne dicam, quales turbas in hyſtericis toto die excitent & quod ſplenetici omnes ſint flatulenti. Adeoque tantum abeſt, ut ſint de nihilo *carminativa*, ut potius ob particulas ſuas facile exhalabiles & ſulphureo-ſalinas in ictero ſumme proficuae. Flatus autem reſpiciunt aromatica & ſtomachica v. g. *rad. Zedoar. galang. carlin.* &c. *herba calamenth. menth. meliſſ.* quae cum priori fere ſymboliſat & cruditates inſigniter corrigit; *baccae lauri, iuniperi, ſemen carv. cumin. aniſ. Mac. Cinnamon. Caryophyll. aromatic. Cortic. aurant. citri* & ex his fere praeparata *Eſſentia carminativa Wedelii*, quae ſtupendae revera virtutis & inſtar omnium eſſe poteſt, *Ωus* ⊖ ♓*ci aniſat. fœnicul. cinnamomiſat.* ▽*carminativ. Dorncrell.* ♀ *ſtomach. Quercet.* & quae alia, omnibus ⊖le volatili oleoſo claris. Item Ω ⊖*lis*, ⊕*li*, Ω. ⦶.*d.*

Res mihi adhuc eſt cum *tonicis* i. e. leniter ſtypticis, quae adſtringendo aperiunt & aperiendo adſtringunt. Huius commatis ſunt omnia hepatica, ſplenetica & ſtomachica, inprimis vero *rhabarbarum*, quod egregie roborat levemque poſt ſe relinquit adſtrictionem. Pertinent huc *Schoenanth. cinamom. corall. Ebur.* & *C. C. ſine* △ *præpar. ſpecies diarrhod. Abbatis, diatrion ſandaleon. &c.* vix aliquam cum explicationem, tum recenſionem ſui ulteriorem adhuc expoſcentia, ſiquidem antecedentia, in quibus etiam ultra intentionem meam prolixus nimis fui, tonicorum naturam & uſum ſatis illuſtrabunt.

Haec de indicantibus in augmento. Sequuntur indicantia fuſci, quae ſunt flaveſcens adhuc color, vari in facie & pruritus brachiorum, in *declinatione* attendenda. Ho-

rum

rum pro inſtituti ratione exponendorum partes mihi imponunt indicationes ſequentes:

1. Acrimonia bilioſa reliqua in poris cutis quantũ poſſibile auferatur,
2. Scoriae bilioſae penitus diſſipentur.

Prima indicatio praeter ſuperius laudata martialia aperitiva, incidentia, reſolventia, abſorbentia & quae plura, ipſa etiam 1. *ſalina abſterſiva ſaponaria* & *🜿ea,* 2. *purgantia* & 3. *diaphoretica* requirit.

Iſta ſunt ⌽ ⊕*lat. Arcan. duplicat. Mynſ. Hepatic. rubr. Dreſd. tartarus* ⊕*lat.* cum *rad. curcumae* mixtus, Ω ⊖*lis coagulatus,* ⊖*l abſinth. cent. min. Croc.* ♂*t. aperitiv. cum* ⊖*lib.* &c. *Arcan. tartari* cum *anima rhabarb. Tr.* ♂*tis* cum *Arcan. tartari,* Ω *tartari* & huius generis plura. Vti enim truncus vix deciditur uno ictu: ita repetita in morbis medicamenta decumbentibus fœnerantur maiores qua vires, qua effectus, modo etiam, ne quid nimis, obſervetur.

Illis i. e. *purgantibus* in declinatione fuſci fortioribus & audacter, pro clinicorum tamen viribus, quilibet uti poteſt atque etiam ſcopo primario. Quod enim in frugem redigi non poteſt, avellatur ſeu expellatur e corpore reliquo, ne pars & humores ſinceri trahantur. Hunc itaque in finem impendi poſſunt *Reſin ſcammon. gialap. Magiſt. G. G. Trochiſc. diacryd. Extr. eſul. elaterii,* ☿ *dulc. Cerb. triceps* & quae huius generis plura.

Haec v. g. *diaphoretica* ſunt, quae ſangvinem blande ventilant, ſerum impurum abſorbent, humoresque ſeroſos & bilioſos in halitus convertunt & per inſenſibilem tranſpirationem foras pellunt. Haec ſuperius laudatis refracte etiam maritari posſunt: hic autem *M. S.* Ω *tartari, theriacal. camphorat. C. C. uſt. & philoſoph. praeparat. Vnicorn. fosſile, Bezoard. minerale,* 🝔 *nativ.* & ♁*nii,* item ♁ *diaphoret.* &c. primario conveniunt.

Altera indicatio obtinetur partim per *interna,* partim per *externa.* Illorum cenſum ſubeunt *ſudorifera;* horum vero *evacuationes, balnea* & *ſternutatoria.*

Id icterus peculiare quaſi habet, ut curato eodem citri-

citrinus in facie remaneat color. Unde pro huius reſiduo diſcutiendo ac pro ſcoriis bilioſis e glandularum ſubcutanearum poris Maſſaque ſangvinea exterminandis ſudorifera ſalina rarefactiva tum ſola, tum vi ſulphurea iuncta, variis formulis pro re nata ante ipſum balnei ingreſſum aut etiam absque eodem continuanda inſigniter proſunt. ⊖lina autem dicuntur ſudorifera, quatenus 1. torporem lymphae h. l. ob bilem viſcidam fundunt & acidum fixius ſuccutiunt, 2. quatenus ſulphur & ſangvinem in motum citant acoremque infringunt & annihilant, 3. quatenus ipſos Ωus ſerenant. *⊖lina* porro ſunt vel alcalia volatilia, vel alcalina fixa & terrea. Illa ſunt *⊖l volatile C. C. ſuccini* &c. *Ω C. C. ebor. viperar. ſangvin. human. ſerpent. ⊖ ♓ci, bezoard. Busſii,* Flor. *⊖ ♓ci ſimplices* & *♂tiales* &c. quae potentisſime ſudorem movent. Fixa alcalina vero *♀ card. benedict. ⊖l eiusdem, abſinth. cent. min. iuniper. ſcordii* &c. Terrea alcalina tandem *Ocul. ♋. lap. bez. orient. & occ. C. C. philoſoph. praepar.* & *uſt. Vnicorn. foſſile verum, ♁ diaphoret. Conch praepar. Magiſt. ſpinar. viperarum, C. C. lapid. ♋. Bezoardic. minerale ſimpl. ♃le* & *⊙re,* item *♀res bezoardici* &c. quae acidum fundunt lymphamque halituoſam immediate reddunt. *🜍ea* autem itidem ſunt vel acida vel alcalina. Illorum generis ſunt *▽a prophylact. Sylvii, bezoardica, card. bened. ſambuci, Ω 🜍ri, mannæ, ligni ſancti, Eſſ. lignorum.* &c. huius autem *Rad. contrayerv. gentian. L. ſanct. ſaſſafr. Rob ebuli* & *ſambuci, Theriac. Andromach. Elect. diaſcord. Flor. ſulphuris ſ. & compoſiti, 🜍 ⊙tum ♁nii, Opium* ſ. in Magiſterio ſ. in Extracto ſ. in Tinctura &c. item *☿ nativ. ♎ata.* Ex his 🜍eis & ⊖linis denique conſurgunt *media,* v. g. *M. S. Tinct. bezoard. Wedelii.*

Sub externis tandem militant 1. *evacuationes* v. g. Sectio venarum hypoglottidum pro penitus auferenda faciei flavedine, item *cucurbitulae* ſiccae & humidae in ipſo quoque balneo, praeprimis ſi aeger iisdem alias aſſvefactus ſit. Nec frictiones plane de nihilo ſunt: *2. balnea* abſterſiva, digerentia & emollientia v. g. ex rad. *alth. bryon.* &c. herb. *abrotan. agerat. agrimon. ſiderit. ſaponar.* &c. Fol. *lauri,*

vitis,

vitis, Flor. *chamomill. Rom. ſambuc.* Sem. *cicer. rubr.* 🜍 *viv. bacc. lauri*, 🜕, 🜔l *commun. Furfurib. tritic. &c.* quae cutem egregie purificant: 3. tandem *ſternutatoria*, quae ſtimulando & titilando fibrillas nerveas reliquum bilioſum partim excutiunt magma, partim quod bonae adhuc frugis ad motum promovent. Sternutationem excitant *hellebor. alb.* ipſa etiam *gialap.* ⊕*lum alb.* c. ▽ *maioran.* item *elater. Spec. diatabac. Mynſ. de maioran.* eiusdem, item ♀ *flor. lil. convall. maioran. &c.*

Diaeta ut obſervetur probe, *aër* eligatur purus, *cibus* non facile bileſcens & *potus* ſemper defaecatus. Fortiora aromatica, acida & dulcia, quae obſtructionum mater, cane & angve peius fugito. Vtaris licet acidiuſculis evpeptis. *Motus* cum *ſomno* ſit moderatus & laxa quantum poſſibile *alvus*. Neſciant quoque de ultra citraque *animi pathemata*.

Ad ultimum

GLORIA ſit SOLI, qui regit aſtra Poli.

Sphalmata typographica, quae ante acceſſum Autoris irre-pſerunt, L. B. haud gravatim ipſe corriget,

In hiſtoriae

p. 2. l. 4. poſt anteſignano appon., & poſt pedarium del., l. 5. poſt ſuccedere appon., eſt poſt uti del., l. 9. poſt receſſu appon., l. ead. pro iisdem l. eodem & del., p. 3. l. antepen. poſt traherentur del., p. 4. l. 7. poſt conſultantis appon., & poſt perſvaſu del., p. 5. l. 15. poſt initium appon., & poſt partem del., l. 30. leg. proſtrando l. ead. poſt cingens appon.,

In ἐπικρίσεως

p. 7. l. 6. leg. obſtructione & appone modo apicum, modo pororum, modo etiam veſiculae, modo ipſius ductus cholodochi l. 7. vero pori dele l. 28. poſt devitem appon., & poſt rei del., p. 8. l. 4. poſt irritativa adſcribe vi l. 5. del. quoad l. ead. poſt ſulphuream adſcribe cum l. 6. del. cum & adſcribe et l. 9. leg. flavus & del. unum l. p. 9. l. 22. pro index leg. iudex p. 10. l. 8. poſt reliqui adſcribe & ſuo opere defuncti & del. a ſuo officio l. 19. pro. aut leg. vel p. 11. l. 6. pro vaſi lege vas l. 8. pro delibandae lege delibandum mihi ſumo & dele Operam navo. l. 24. poſt anguſtius del. quoddam l. 26. pro faciſculos leg. faſciculos l. 32. poſt aſcendentē, adſcribe cui purpureū ſuum flumen iterum concredit, ut cum reliquo uniatur. p. 12. l. 8. pro 328. ſcribe 293. l. 15. in fine del. p. & appon. ſeqq. lin. l. 23. poſt voluere appon., p. 13. l. 21. pro dicatur leg. dicat, l. 25. poſt dilutas appon., l. 27. pro. num leg. nunc p. 14. l. 14. pro quale leg. quae l. 15. poſt inflammabilitas appon., l. ead. del. operationes chimicae l. 16. poſt confirmant adſcribe una cum operationibus chimicis. l. 30. poſt quae appon., l. penult. poſt exiſtimo appon., & pro eadem leg. ea p. 15. l. 26. pro etiam leg. eidem l. ult. leg. 218. p. 16. l. 5. leg. hepaticum l. 14. poſt 481. adſcribe vult, l. antepen. leg. faſciculos lin. penult. poſt abeuntibus adſcrib. ; p. 18. l. 8. poſt accedit adſcrib. : l. 10. lege duodenum l. 17. poſt evomat loco ; fiat, l. 20. pro canalem leg. tubum inteſtinorum l. 26. leg. digeſtione l. 33. pro diverſos leg. diverſas p. 20. l. 2. poſt collecti adſcrib., l. 6. poſt expreſſi adſcr., l. 9. lege ambigunt l. 8. poſt ſal adſcrib., p. 21. l. 18. poſt efferveſcentia adſcrib., l. 23. leg. aculeatas p. 22. l. 8. poſt pancreaticum adſcrib., l. penult. poſt viſcidae, adſcrib., l. ult. poſt ſedentariae del., p. 23. l. 20. leg. cohaerere p. 24. l. 31. leg. extremis l. ead poſt apicibus adſcrib., l. antepen. leg. laudatam p. 25. l. 5. lege ſaturate l. 13. leg. venenoſam l. 29. del. l. d. & pon. Id. l. ult. poſt bilarii del., p. 27. l. 14. lege vaſorum l. 24. poſt granula del., & appon.-l. ult. poſt modificant appon., p. 29. l. 12. lege Becker. l. 24. pro ob leg. per p. 30. l. 12. poſt diluitur adſcr.; p. 31. l. 12. leg. eosdem p. 32. l. 24. lege pathognomonica p. 34. l. 13. poſt ſuſpicabar adſcrib., p. 35. l. 13. del. g & adſcrib. l. ſeqq. p. 36. l. 26. del. l. & leg. 681. p. 37. l. 13. poſt ſecundavit adſcrtb., p. 38. l. 15. pro adhuc leg. nihilominus p. 39. l. 27. poſt eſſe adſcrib., l. ult. pro igneas lege terreas.

Reliqua ſi occurrant, L. B. non mihi, ſed negotiorum multitudini adſcribet.